Digitized by Google

Digitized by Google

5. 8.139

Digitized by Google

ORATIO, ET CARMINA

MANTESII CECROPII

P. A.



MEDIOLANI. MDCCLXI.

Ex Typographia Joſephi Mazzucchelli, ſucceſſoris Malateſtæ.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

FRANCISCO MORELLO
TYLII PRÆPOSITO
In ValleTellina
MANTESIUS CECROPIUS
P. A.

NEmo certe mirabitur, Franciſce Morelle, clariſſime Præſul, nemo me arguet, ſi ego hoſce meos tenues labores eo tempore elucubratos, cum Piſis in Etruria humanioribus litteris, & Rhetoricæ præceptis adoleſcentes inſtituebam, tibi præ cæteris devoveam, teque huic libello Patronum deligam; qui animadvertat, quantum tibi, tuiſque debeam, quot, & quanta in me, meoſque beneficia contuleris, quanta denique mihi tecum neceſſitudo, atque propinquitas intercedat. Porro nunquam animum adduxiſſem, & ne mentem quidem ſubiiſſet meam haſce nugas typis edere, niſi hoc mihi in animo inhæſiſſet, fore ut noſtra magis neceſſitudo confirmaretur, utque, quod tibi dudum ſpoponderam, præſtarem, tuiſque officiis aliqua ratione reſponderem. Quo enim alio te munere poſſem muneràri? Hinc quoque Horatius Flaccus (a), cujus carmina, atque ſententiæ mihi in deliciis ſemper fuerunt, ſcribens ad Marcium Cenſorinum amicum ſuum, hæc habet:

Do-

(a) *Lib.* 4. *Ode* 8.

Donarem pateras, grataque commodus,
Cenſorine, meis æra ſodalibus:
Donarem tripodas, præmia fortium
Grajorum; neque tu peſſima munerum
Ferres. . . . .
Sed non hæc mihi vis: nec tibi talium
Res eſt, aut animus deliciarum egens.

Quare quidquid erit in hoc libello, quantulumcumque videbitur eſſe, certe manifeſtum cuilibet, ac planum faciet, grato animo me velle videri erga te. Tu quidem neque divitiis, neque genere, neque honoribus, quibus ſatis fulges, quibuſque nomen tuum, & tua domus celeberrima apud nos eſt, mihi nunc es commendandus. Hæc alii jactent, & prædicent, quibus nulla alia decora ſuppetunt. Te vero, quem Patriæ columen, quem pauperum præſidium, quem ampliſſimi Sacerdotii ornamentum, quem denique litterarum decus ſuſpicimus, tuæ virtutes ſatis commendant. Accipe itaque hoc qualecumque munus eo animo, eaque humanitate, qua ſoles amicorum tibi cariſſimorum munuſcula excipere. Equidem non dubito, quin hoc tenue meæ obſervantiæ, atque amoris monumentum ſis æqui, bonique facturus.

Vale.

Vallis

ORATIO

Habita Pisis

A. MDCCLIV.

IN iis oriri civitatibus, Ampliſſimi Patres, Auditores ornatiſſimi, quæ cæteris agri ubertate, incolarum frequentià, ædificiorum concinnitate, divitiarum ſplendore, nec non rerum geſtarum, armorumque glorià, atque egregiis Civium virtutibus longe præſtant, ac celebrantur, ſemper magni habitum fuiſſe, maximaque in laude cuilibet poſitum nemo inficiabitur. At vero in iis natum eſſe, ac vitam degere, quibus præ cæteris ad hæc omnia fortunæ bona, & ornamenta vitæ, litterarum etiam gloria, ac optimarum artium, & diſciplinarum omnium ſtudium, & favor accedat, ingens Dei Optimi Maximi donum habendum eſſe, & merito cuilibet invidendum mihi facile in animum induxerim. Ibi etenim præter indicata nuper, & reliqua humanæ vitæ ſubſidia, & commoda, quæ pariter aut a litteris oriuntur, aut incrementum, ac perfectionem ab illis accipiunt, alia inſuper ad bene, beateque vivendum maxima inſunt momenta. Cum autem mihi in urbe adeo litteris, & doctiſſimorum hominum concurſu, ac frequentià cele-

bri, quemadmodum veſtra eſt, ſi non oriri, certe verſari contigerit; quin & veſtros adoleſcentes quarto vertente anno humanioribus litteris imbuendi munus injunctum fuerit: operæ pretium me facturum, vobiſque non paucam lætitiæ voluptatem allaturum exiſtimavi; ſi, (quod oculis interdum obverſabatur, dum hujus nobiliſſimæ, atque antiquiſſimæ Civitatis ſtatum, ac præſentem felicitatem conſiderabam, atque attentius animo perpendebam) vobis hodie oſtenderem feliciſſimas nempe eas eſſe civitates, cæteriſque præferendas, in quibus florent ſtudia litterarum, optimæque artes, & ingenuæ diſciplinæ, ſcientiæque ſublimiores amantur, foventur, & excoluntur. Jam vero maxime eſſet optandum, ut omnes ii, qui in ampliſſimo loco ad doctiſſimos Patres, ad clariſſimos Cives, cæteroſque Auditores ornatiſſimos ſermonem habere inſtituunt, plurimì pollerent auctoritate, ſummo præſtarent ingenio, bene audirent, deque litteris eſſent optime meriti. Quamquam autem is ego ſim, qui neque auctoritate, neque ingenio ſim cum his, qui ſedeant, comparandus; minime tamen dubitavi in frequenti doctiſſimorum hominum cœtu periculoſam hanc aleam ſubire, quod & demandatum mihi munus, & optima conſuetudo multis jam annis inducta id negotii a me flagitabat. Quamobrem ſinite me veſtrâ fretum humanitate, quâ me ex hoc loco dicentem, alioſque item alias benigne excepiſtis, verba facere, quodque ſum pollicitus, pro viribus præſtare.

Soleo mihi ante oculos frequenter ponere, quæ urbium incolumitati, ac ſaluti conducere plurimum ſolent, quæque ad earum dignitatem, ac gloriam quoquo modo ſpectare queant; quæ quidem plurima eſſe nemo non videt. An non eas urbes habendas eſſe felices cenſemus, quæ vel innumerâ

populi

populi frequentià celebrantur, vel auguſtis, regiiſque ædificiis decorantur, vel bono utuntur cœlo, vel maximo confluentium advenarum numero & conventu frequentantur? Non ne illas fortunatas appellamus, quæ aut regiis alluuntur fluminibus, aut agrorum cultu, frugumque copià, & ubertate locupletantur, aut nobili civium genere, incolarum urbanitate, vivendi cultu, ac ſermonis elegantià florent? Quis vero ambiget portuoſa oppida, aut mari quomodolibet adjacentia non ingenti felicitate donari, ſecundaque uti fortunà: cum mercatura nobilis, quæ potiſſimum navibus exercetur; quaque magis nihil accomodatum eſt ad conciliandam urbibus dignitatem, atque ad comparandas divitias, quibus facillime ab incolis gravia vitæ prohibentur incommoda, ibi vigeat, floreatque? Quem tandem latet aliquo laudis loco poni, nec eo, meo quidem judicio, adeo facile contemnendo, ſed invidendo potius, quam exoptando, ab heroicis uſque temporibus originem ducere; per plura ſæcula juris ſui fuiſſe, in plurimas, diſſitaſque regiones victricia ſigna protuliſſe, nec non plurimis dominari nationibus, ſe ſeque hoſtium ſpoliis, exuviiſque victoriæ exornaſſe undique, ac communiſſe? Quæ quidem omnia mente pervolvens, cum maxima, & ingentia bona eſſe fatear; ſi tamen cum iis, quæ a litteris proficiſcuntur, comparare velimus, longe inferiora eſſe, quin etiam manca, & imperfecta, aut aliquando nulla omnino fore reperiemus. Ac primum quidem civilis ſocietas, atque commune humani generis fœdus, unde omnis felicitas emanavit, non ne Religione inprimis, ac pietate in Deum continetur, indeque originem duxit, & incrementum? Quis autem ignorat Dei Optimi Maximi cultum plurimum foveri litteris, ac commendari?

Ab Jove principium Muſæ, Jovis omnia plena ? (a) Inquiebat olim Virgilius. Inde enim auxilia petenda, inde nobis felicitas omnis expectanda: hoc autem litteræ inprimis hominibus præſtant. Ab his antiqui ritus reparantur; novi inducuntur, exempla virorum Pietate, ac Religione, inſignium poſteritatis memoriæ mandantur, vetera facta, ac dicta in doctiſſimorum hominum ſcriptis conſervantur: quin & conceptarum precum verba, & ipſa divinæ vocis oracula nonne ab unis litterarum monumentis nobis exhibentur? Quamquam vero in animis omnium inſit lux illa cœleſtis procul dubio ac divina, quæ ob oculos mentis noſtræ, ut primum rationis uſus affulſit, ſublime illud, excelſum, interminum, antiquius Cœlo, & Chaos dilucide conſtituit, ac repræſentat; niſi tamen illa frequentius ſublimiorum diſciplinarum ſubſidio, & diuturnâ meditatione excitetur quodammodo, & eliciatur; obruatur penitus, & inanium cogitationum pondere, ac hujus vitæ ſollicitudinibus opprimatur, & reſtinguatur neceſſe eſt.

Sed hæc miſſa faciamus; longius enim petita alicui videri poſſent. Sed hæc, quæ recenſebo, quis ambiget, non proxime a litteris provenire? Quæ fortunæ bona dicuntur, quamquam ſummam hominibus afferre videantur utilitatem, plurimis nihilo ſecius obnoxia eſſe caſibus, nemo non novit. Itaque vel bellorum calamitatibus, vel aeris vitio, vel hoſtium ferro, vel temporum injuriâ, vel civium denique diſſidentium armis interire ſæpius videmus. Quare niſi conſilio, ac providentiâ tot ingruentibus malis occurratur, & opportuna aptentur remedia facile civitates ipſæ non ſolum debilitantur, atque decreſcunt, ſed evertuntur funditus, & con-

vel-

(a) *Bucolic. Eglog.* 3.

A

vellüntur. Unde autem provida conſilia proveniunt; unde potiora parantur remedia; niſi maxime a litteris? Leges novæ condendæ, firmanda fœdera, ſtabilienda commercia, ſancienda jura? Hoc litteræ præſtant, quibus mollitur feritas, humanitas commendatur, augetur fides, variæ perdiſcuntur linguæ, conciliantur nationes, diſſidia tolluntur, pax cohaleſcit, & amor populorum. Quamobrem non injuria Alphonſus Celtiberiæ Rex cum rogaretur, cui magis deberet, litteris, an armis? Litteris, inquit, quod ab illis arma didici, & armorum jura. Et merito quidem: Quoties enim accidit, ut urbes frequentiſſimæ, atque omni copiarum genere abundantes, ſolà rerum ignoratione, ac damnabili civium ſocordià penitus conciderint? Regna inſuper, atque celeberrima imperia hac eadem de causà nonne infeliciter occubuerunt? Plurima in medium afferre poſſem exempla ex certiſſimis veterum hiſtoriarum monumentis deprompta, niſi mira Imperii Romani viciſſitudo locupletiſſima nobis pro hac re ſufficeret teſtimonia. Toties enim affici cladibus, ac vires ejus imminui vidimus; quoties ad barbaros, litterarumque expertos Principes imperii gubernacula transferebantur: reſtaurari vero, & vigere quodammodo, & iterum caput extollere; quoties ad litteratos, & litterarum fautores pariter deveniebant. Quo, cedo, unquam pejori loco fuit Romana Reſpublica, quam cum, in Orientem imperii ſede translata, tumultuantium militum ſuffragiis, & inconditis populi vocibus, cuilibet, vel ex ipſa vulgi fæce, & liberalium artium, atque ingenuarum diſciplinarum imperito ſumma imperii deferebatur? Hinc, hinc potentiſſimi dominatus omnis inclinatio proceſſit. Contra vero illis ipſis barbaris temporibus, quid litteratus Princeps facere poſſit, vel unus Carolus Magnus cumulatiſſime

me

me demonſtràvit. Ipſe enim nedum regni ſui fines ampliavit, ſed advocatis undique celeberrimis doctrinà viris, quin etiam in aulà ipsà ſua inſtitutis litterarum gymnaſiis adeo nomen ſuum longe, lateque diffudit, ut ab ultimis Mundi regionibus potentiſſimorum Regum, ac Principum amplas legationes exceperit, honoribus maximis affectus fuerit, & primus in Occidente Romanorum Imperator fuerit renunciatus. Primariam vero regni ſui ſedem conſtructo ibi celeberrimo totius Orbis Athenæo illuſtravit adeò, ampliavitque, ut poſt Bizantium totius Europæ maximam, ac frequentiſſimam reddiderit civitatem. Hæc autem omnia urbis incrementa litteris accepta referenda eſſe, vel ex eo manifeſtiſſime patet, quod etiam hac ætate potior, ac frequentior ex tribus ampliſſimæ urbis partibus Academiæ dumtaxat nomine inſignitur.

Merito propterea dicebat Plato, tum fore felicem Rempublicam, cum aut Philoſophi imperarent, aut Principes ſtuderent ſapientiæ. Hinc temporibus omnibus maximi Imperatores, Reges fortiſſimi, invictique Duces, ac Dynaſtæ, ut diligentius ſubditorum felicitati proſpicerent, Reique publicæ conſulerent, undecumque eruditiſſimos, ac ſapientiſſimos Viros evocarunt, rebuſque ſuis præfecerunt, quod ii facilius ſe plurimam apud omnes gentes gloriam, ita adepturos putarunt, tutiuſque in ſuos ſe dominaturos ſperarunt: ſi horum virorum operà, ac conſiliis uterentur. An non Pyrrus Epirotarum Rex Cinnæ dixit diſerto Philoſopho, & Oratori, quem ſemper ſecum habebat: Maximam, Cinna, Diis habeo gratiam, quod in Regià procuratione, magniſque belli negotiis te mihi comitem dedere: plures enim urbes tua dicendi copia mihi dedit, quam mihi gladius non potuit? An non Cræſus Lidorum Rex, cum plurimis imperaret gentibus, quæſi-

tum

tum miſit omnes Græciæ ſapientiſſimos, quos adeo caros habuit, eorumque dicta tanti fecit, ut in ſummo vitæ diſcrimine Solonem unum ex ſeptem Græciæ Sapientibus, cum ejus monita in mentem ſibi revocaret, elatà voce, tamquam Numen aliquod in auxilium vocaverit? An non Philippus Macedonum Rex, Alexandri parens, quem ab Ariſtotele Peripateticorum Principe omnes ſcientias edoceri voluit, ejuſdem Philoſophi conſiliis plurimum in difficillimis Reipublicæ rebus uſus eſt? An non Darius Hiſtaſpis filius, Xerxis pater, clariſſimus Perſarum Rex Eraclytum Effeſium doctiſſimum virum acceſſivit, promittens ſe ſub ejus fore diſciplinà, omnemque ei cultum adhibiturum? Magna hæc ſunt nomina Auditores, magna ſanè. Verum quorſum iſta commemoro? Fuit, fuit ſemper potentiſſimorum Regum, qui féliciter regnare, & ſapienter imperare voluerunt, ſtudere litteris, & litteratis. Quin etiam quandoque accidit, ut ſæviſſimi tiranni litteratos viros maximi fecerint, & eorum ſuaſionibus plurimum conſuetæ crudelitatis remiſerint. Ex hoc fuere numero Antigonus, qui licet crudeliſſime dominaretur, vitiiſque ingentibus obrueretur, maximo tamen amore proſecutus eſt eruditos viros, præſertim Abionem philoſophum, ad quem etiam gravi morbo detentum filium ſuum magnis cum muneribus ſalutatum miſit: Uterque Dionyſius Siracuſarum Tyranni, quorum prior Platonem Tarento magnà cum ambitione perduxerat, ejuſque conſilio multum movebatur, niſi quà in re major cupiditas intercederet; Apud alterum vero tantum Philoſophus auctoritate potuit, valuitque eloquentià, ut perſuaſerit ei tyrannidis facere finem, libertatemque reddere Syracuſanis! Quorum igitur ferocitatem, atque ſævitiam nulla unquam pietas, nullæ lacrymæ, humanitas nulla commovit;

movit ; litteræ ſolæ emollire potuerunt, atque conterere. Quis igitur auſit negare ad cogendam civilem ſocietatem, ad humani juris leges confirmandas, ad pietatem fovendam, ac conſervandam Rempublicam, ad felicitatem denique comparandam litteras non valere? Quis eas non amet? Quis in ſinu non ferat? Quis eas non proſequatur? Patet ergo civitates illas eſſe omnium feliciſſimas, cæteriſque anteponendas, in quibus ſcientiæ omnes, ac diſciplinæ florent. Tum quia Sacroſanctæ Religionis cultum promoveant, Supremique Numinis reverentiam commendent, ipſum nobis propitium, ac benignum efficiant; tum quia cum juſtitiæ, & æquitatis jura dilucident, & inditam nobis naturæ Legem, ac morum diſciplinam, prælatâ quodammodo face, indicent; atque commonſtrent, reddunt Principes beneficentiſſimos, Magiſtratus æquiſſimos, & ipſos propemodum Tyrannos minus Reipublicæ iniquos, atque ad ſæviendum tardiores.

Videamus nunc, quæ, quantaque ſint ea bona, quæ *immediate*, atque per ſe civitatibus litteræ præſtant. Quis quæſo, Auditores, non ſentiat iis in civitatibus, in quibus litterarum ſtudia florent, nullo ferme impendio, nulloque graviori incommodo illis artibus inſtitui adoleſcentes, quibus ætas puerilis debet informari? Ingeniis primum imbuuntur moribus, ad politiorem cultum, vitamque rediguntur. Sic Ovidius olim.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Juvenes vero ad illuſtriora patriæ obeunda munera, ad Rempublicam benegerendam, ad pertractanda domi, foriſque negotia, ad gloriæ, famæque ſerviendum, ad ſtudendum amicis, ad graves perferendos labores, ad quælibet adeunda pericula

exci-

excitantur, & comparantur. Quem autem latet non niſi eos, qui ab ineunte ætate optimis inſtituuntur præceptis, veramque edocentur vivendi rationem, poſſe in tempore urbi proſpicere, familiæ conſulere, honoribus fungi, legationes obire, regum lateri adhærere, aliiſque hujuſmodi officiis incumbere, unde omnis Reipublicæ dignitas, omnium ſalus, vita, libertas fortunæ pendent? Adeo verum eſt inſigniora urbium ornamenta, & bona a litteris proficiſci, ut hujuſmodi cives aliquando adeo patriæ profuerint, ut ſine ipſis, aut nullæ propemodum fuiſſent, aut graviſſimis ſuccubuiſſent calamitatibus. Teſtis eſt Romana Reſpublica, quæ tamdiu ſtare viſa eſt quamdiu acerrimus libertatis vindex, idemque omnium litteratiſſimus, ac doctiſſimus Cicero vixit: quo occumbente ipſa quoque Romana Libertas nunquam amplius ſurrectura procubuit. Teſtes Athenæ, quæ a Solone illo, cujus nuper mentionem fecimus, ſanctiſſimis munitæ legibus, unicum eum propemodum, ac ſolum pariter tyrannidis inimicum, atque impugnatorem adverſus Piſiſtratum habuerunt. Teſtes iterum Athenæ ipſæ, quæ libertatem Demoſtheni clariſſimo Oratori acceptam referunt, qui ingentis eloquentiæ vi armatus pene ſolus adverſus potentiſſimum Regem Philippum ſtetit, illumque non retardavit ſolum toti Græciæ imminentem, atque inſultantem, ſed repulit, infregit, atque contrivit. Mitto hic Alcibiadem Athenienſem, Epaminondam Thebanum, Themiſtoclem alterum Athenarum lumen, alioſque quam plurimos viros dicendi copià præſtantiſſimos, qui omnes patriam, vel ab hoſtium ferro, vel a conjuratorum civium impetu, eloquentià potius, quam armis in libertatem vindicarunt. Ex quo intelligi poteſt unum hominem aliquando ſolo litterarum præſidio pluris fuiſſe, quam integram civitatem.

Quid?

Quid? Quod ipſi civium mores ſcientiarum ſtudiis formantur, in melius traducuntur, & omnium virtutum habitus inducuntur mirifice.

Et ſane quoad ætas aurea ante Jovis adventum floruit, ut Poetæ loquuntur, regnante Saturno, homines a vitiis abhorrentes, omnibus hujus vitæ bonis feliciter fruebantur: nec adeo litterarum ſubſidio indigebant: ſponte enim, quod omnibus bonum videbatur, peragebant. Verum Saturno exulante cœptæ ſunt ſcientiæ edoceri, leges condi, artes exerceri, ut per eas improbitati hominum, qui ſuà non contenti ſorte, alienis inhiabant fortunis, ſe ſeque ſceleribus inquinabant, obſtaretur, illique ad meliorem frugem revocarentur. Nam ubi ſcientiæ negliguntur, cives otio ſe dedunt, ſenes nullà pollent auctoritate, juvenes voluptatibus indulgent, majorum juſſa detrectantur, artificia deſeruntur, virtutes exulant, ſcelera dominantur. Contra vero per litteras hujuſmodi malis occurritur, & humanitas omnis inducitur, & regnum obtinet virtus, & exercet imperium. Sic Athenienſes (cedo, hoc mihi date Auditores, ut iterum, & tertio florentiſſimam Rempublicam in litteratiſſimæ ſimul, ac feliciſſimæ civitatis abſolutiſſimum exemplum addùcam) ſic Athenienſes, quod præ cæteris hominibus bonarum artium ſtudiis ſe dediderunt, referente Platone in Thimæo, præ cæteris quoque virtutum omnium genere excelluerunt. Quod Cicero animadvertens in oratione pro Flacco: Adſunt, inquit, Athenienſes, unde omnis humanitas, doctrina, Religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur. Quamquam quid loquor? Quid unquam, Dii immortales, quid ſapientiſſimos illos Philoſophos, quos poſteritas veneratur, quos hiſtoria memorat, quos antiquitas ipſa eſt admirata; reddidit opum contemptores, ſcele-

rum

rum hoſtes, morum magiſtros, Reipublicæ defenſores, æquitatis, ac Religionis obſervantiſſimos, niſi ſapientiæ ſtudium, cui mirum in modum dediti erant?

Age vero videamus quantum ſplendoris, ac famæ, quantum laudis, & gloriæ, quantum denique nominis tribuant litteræ hujuſmodi civitatibus. Quandoquidem in aliquà felicitatis parte ponitur etiam gloria, & laudis commendatio. Quot oppidorum nomina longà jam oblivione eſſent deleta, niſi aliquem ex illuſtribus illis, atque omni tempore celeberrimis viris in hanc lucem edidiſſent, qui aut ſcriptor per ſe ipſe fuerit, aut ſcriptorum amicus, & fautor? Quis Arpinum noſceret, niſi Ciceronis, & Marii incunabulis clarum fuiſſet, quorum alter res ad ſcribendum maximas, alter tum res ad ſcribendum, tum ſcripta ipſa æternitati amandanda ſuppeditavit? Quod ſi obſcura oppida tantum ſplendoris accipiunt ab uno, vel altero homine litterarum ſtudioſo, quid illis unquam fiet, quæ non ſolum aliunde quoque explendeſcunt; ſed omni tempore, atque in omni ſcientiarum genere ſapientiſſimis viris emicuerunt? Quid eſt quæſo, quod magis illuſtret hanc civitatem ſummis alioquin laudibus celebrandam, & extollendam? Pace dixerim veſtrà; Non agri ubertas, non mercium copia, non flumen interfluens, non annonæ affluentia, non dignitas ædificiorum, non denique nominis antiquitas, aut vetuſtas originis; Hæc omnia magna utique ſunt, ſed non tanti eſſent habenda, nec tanto vobis eſſent ſplendori, atque utilitati; niſi ab illo celeberrimo Sapientiæ *Archigymnaſio*, in quo doctiſſimi viri omnigenà eruditione, ac cultu conſpicui, ſcientias omnes, ac diſciplinas profitentur, complementum acciperent, & perfectionem. Quis quæſo in letteraria Republiça adeo hoſpes, & peregrinus eſt, ne dicam ferus, & bar-

barbarus, qui quoties audierit inter ſapientiſſimos noſtræ ætatis viros commemorari Laur. Bertum, Gualbertum de Soria, Eduardum Corſinium, Perellium, Vannucchium, Moniliam, Guadagnios, Burghios, alioſque quamplurimos, quorum nonnullos mihi dicenti adeſſe, & favere maxima cum animi mei voluptate intueor, toties veſtram non deprædicet felicitatem, quibus, Deorum immortalium munere, contigerit talium virorum præſentia, & contubernio frui; doctrina, virtute, atque eruditione proficere? Quis autem vobis tantam non invideat fortunam, deque tanta felicitate vobis non magnopere gratuletur? Nunc ſinite Auditores, ut quandoquidem orationis meæ finis approperat, litterarum ſtudia, quæ tantam nobis præſtant felicitatem, his verbis compellem. Quibus ego vos laudibus efferam? Quà benevolentia complectar, Litteræ, nobilius civitatum decus, urbium incrementum, opum cuſtodes, validiſſima libertatis firmamenta, deliciæ principum, amor populorum, Religionis columen, virtutum magiſtræ, exitia vitiorum? Quis vobis non ſtudeat, quis vos non amet, quis vos non amplectatur, quis vos tandem ſummis in cœlum laudibus non efferat, cum per vos urbes omnium feliciſſimæ habeantur, cæteriſque longe antecellant.

Vos tandem alloquor ingenui adoleſcentes, qui nuper eamdem ſtudiorum ſemitam iniiſtis. Ne quæſo, obſecro vos, & obteſtor, ne optimam à fortunà datam occaſionem, liberalium artium percipiendarum dimittatis. Pudeat vos urbem incolentes adeo litteris florentem, teterrimis ignorantiæ tenebris obvolvi. Inceſſat ergo vobis gloriæ cupiditas, amor patriæ, virtutis deſiderium; atque animo tandem ſedeat non modo vobis metipſis, ſed etiam patriæ conſulere.

FRAN-

Vallis Tellinæ Deſcriptio .

O Mihi, ſi veſtrum licuit conſcendere montem,
Et ſæpe aoniis haurire è fontibus undas,
Subdite Pierides citharam, vireſque ſecundas
Addite, ut emerito Tellinam carmine Vallem
Extollam, natale ſolum, patrioſque penates.
Magna jacet medios inter, juga Ræthica, montes,
Alpium in anfractu, longo circumdata Vallo,
Finibus Inſubriæ, Lario contermina ſtagno,
Cænomanos prope, Vindelicos, Bojoſque feroces,
Subdita Ræthorum (a) imperio clariſſima Vallis,
Vallis ab Euganeis primum regnata colonis.
Quæ tibi digna feram noſtro præconia cantu,
Vallis, quove tuum celebrabo carmine nomen,
O decus Italiæ, Ræthorum gloria, tellus
Fæcunda Heroum, ſtatio gratiſſima muſis?
Ut ſol cuncta nitens radiis ſuper eminet aſtra,
Sic tu omnes inter præſtas pulcherrima Valles.
Te labens rapido mediam ſecat Abdua (b) curſu,
Abdua, quæ multis torrentibus aucta ſuperbit.
Te frugum facilem reddit, rerumque potentem
Natura, atque locis primum donavit amænis.
Huc age, ne pigeat, celeres huc dirige greſſus,
Utque libet, magnam mirare hanc, Advena, Vallem,
Quæ ſpecies, quæ forma loci, quæ gratia Cœli,
Qui decor effulget, qui cultus, quæque venuſtas!

 Non-

(a) *Ræthi dominantur hic, ſed imperio mitiſſimo.*
(b) *Flumen nobile, quod totam Vallem interfluit.*

Nonne hic omnigenas effundit divite cornu
Copia divitias, & cives ditat avaros?
Suſpice in alternis ſinuatas orbibus Alpes,
Obſitaque antiquis prærupta cacumina ſylvis:
Cerne etiam virides frondoſo vertice colles,
Formoſos colles, & amæna in collibus arva;
Plurima pampineo quos undique vinea fœtu
Ornat, & ambroſias (a) prætendit vitibus uvas.
Non hic aut Boreas ſævis Aquilonibus inſtat,
Aut Tellus premitur Lybicis obnoxia ventis.
Sed placidi perflant euri; zefirique frequentes
Apricas tepido fæcundant flamine terras.
Namque hinc excelſis aſſurgunt cautibus Alpes,
Atque illinc humiles ſubſidunt vertice montes.
Hic nimium neſcit frigus, magnoſque calores
Incola, ſed cœlo gaudet, fruiturque benigno.
Quid varios memorem pagos, vicoſque frequentes,
Oppidaque antiquos teſtantia nomine Etruſcos?
Quid memorem umbroſos ſaltus, lucoſque virentes,
Et late effuſis arbuſta ſonantia ſylvis?
Arbuta, caſtaneas, corilum, glandeſque, nuceſque,
Baccas, aſparagos, cinaras, cum tubere ficos,
Prunaque, ſi cupias, & fraga, & punica mala?
Quid plenas ovium caulas, pecudumque catervas
Pinguiaque in riguis armenta errantia pratis?
Paſcua quid referam, viridi quid margine ripas
Fluminis, & læto fæcundos ubere campos?
Caſeus hic abacos pinguiſſimus implet acernos,

Fi-

(a) *Vinum hic optimum, & Acetum, quod aromaticum dicunt.*

Fiſcellas butyrum, pelveſque hic copia lactis.
Nonne hic præcipuo, ceu nuſquam, munere Divum
Bacchus, & alma Ceres ſedem poſuere beatam?
Culta ferunt gravidas multo cum fænore meſſes,
Rura, & maturas ingens terit area fruges.
Dulcia quid referam generoſi munera Bacchi,
Munera ſollicitis cenſu ſatis apta colonis?
Hic etenim plenis ſpumat vindemia labris,
Et magna innumeris incumbunt præla racemis,
Amplaque purpureo complentur dolia vino.
Vos ego, qui noſtras emptum properatis ad oras,
Teutonici, & magnum pro vino penditis aurum,
Teſtor, quam vobis libeat, quam nobile vinum
Veneat, & veſtris ornet convivia menſis.
Nonne etiam fœtos variato marmore montes
Cernis, & ingentes æris, ferrique fodinas?
Quam juvat hic lapides (a) tornare lebetibus aptos
Fingendis, tereteſque educere cautibus ollas!
Quid? te piſcandi tenet, hoſpes, blanda cupido?
Invenis hic gobios, ſalares, læveſque tymallos,
Et quotquot felix ſecum fert Abdua piſces.
Quod genus alituum non hic componere nidos
Gaudeat, & mulcere vagas concentibus auras?
Attagen, & perdix, ſcolopax, peregrina lagois,
Fringilla, & turdus, ficedula, rara coturnix,
Turtur, & aſſiduos repetit Luſcinia cantus.
Pellere difficiles effæto e corpore morbos

B 2 Quæ-

(a) *Eſt quidam lapis in Valletellinà, qui tornatus ollas, & lebetes humanis uſibus commodiſſimos præbet.*

Quæris, & amiſſam facile reparare ſalutem ?
Hæc Vallis medicas herbas, lymphaſque ſalubres
Sufficit, & calidis ſudantia balnea thermis.
Si vacat, & mæſtis animum ſubducere curis
Optas, & grato membra exercere labore,
Venatu invigila, ſaltuſque indagine cinge,
Montes exſupera, & ſylvas ſcrutare latentes:
Hic celeres curſu lepores, damaſque fugaces,
Cervos, capreolos, urſos, venaberis, apros.
Frigidulas umbras, lenes ex fronde ſuſurros
Hic libet excipere, & labentum murmur aquarum:
Muſcoſos fontes, mollique virentia muſco
Antra per anfractos late ſubmota receſſus.
Hortos heſperidum non hic exoptat amœnos
Incola, & Alcinoo viridaria conſita rege:
Nec cupit Aonios fontes, aut Theſſala Tempe.
Nunc memini, (neque vos latuit pia numina, Nymphæ)
Liber curarum, primo ſub flore juventæ,
Cum dorſo nemoris recubans frondente ſub umbrâ
Ilicis, argutà modulabar carmen avenâ:
Tranquilla undiſono dum plauderet Abdua curſu,
Et celſâ aſpicerem pendentes rupe capellas,
Paſtoreſque procul calamis fidibuſque canentes.
Tunc mihi purpureo fulſerunt lumine ſoles,
Et mihi tunc blando riſit ſors dextera vultu,
Lætaque tranquillos pepererunt otia ſomnos.
Aſt ego jamdudum patriis avulſus ab oris
Infelix cogor longinquas degere terras.
Non hic inſidias, non hic horrere rapinas
Eſt opus, aut ſævas in aperta pericula cædes.

Pax

Pax ſecura viget bellorum exoſa tumultus,
Imperiumque ferox libertas aurea neſcit.
Hic genus ingenuum, facileſque ad commoda mores;
Mens, animuſque vigent, & firmæ in corpore vires:
Pollent ingenia, & virtus in pectore regnat.
O Patria, o Vallis vitâ mihi carior ipsâ,
Libera majorum ſedes, & regna meorum!
O me felicem, vos o pia numina, veſtro
Munere ſi reliquos mihi ducere Jupiter annos
Hic daret, & feſſam tranquillo funere vitam
Explere, & patrio condi mea membra ſepulchro
Non feret in terris tunc me felicior alter.

De Domini adventu Veterum Patrum vota.

O Hominum, ſuperumque Pater, rerumque Creator,
Cujus ad imperium venti, ſævæque procellæ
Subſidunt, ponuntque feros freta concita fluctus:
Quem noſtri coluere Patres, quem dira minantem
Terra, Poluſque tremunt, & clauſis Tartara regnis.
Ecquando noſtras clemens miſerebere pœnas,
Speratamque feres dextram tot caſibus? Omnes
Jamdiu in ærumnas trahimur, ſævoſque labores!
Ecquando afflictis, ſublato crimine, rebus
Impones finem, promiſſaque fœdera jungens
Dulcia defeſſis tandem dabis otia terris?
Ecquando venies Cœli reparare ruinas,
Atque novis vacuas ſedes implere colonis?
Aſpice bacchantem, ſpoliiſque ingentibus auctum
Dæmona, crudeles victorem condere leges,

 Ser-

Servitio premere indigno mortalia corda,
Horridaque innumeras raptare in Tartara prædas.
Non te tædet in infernis mortale tenebris
Jamdudum eſſe genus, triſtique occumbere letho?
Quorſum mortales duro ſub pondere noxæ
Languebunt, primique luent peccata Parentis;
Et ſolvent longas veteri pro crimine pænas?
Quorſum in frondoſis ſylvis, templiſque profanis
Impia ſacrilegas litabitur hoſtia ad aras,
Surdaque gaudebunt cultu ſimulacra nefando?
Quorſum vaſtatas flammis ultricibus urbes
Flebimus, aut raptos inimicà cuſpide cives?
Fulmina pone manu, lethales pone ſagittas
Alme Parens, atque arma novo ſatiata cruore,
Arma in lucifugos Erebi jactanda tyrannos.
Sat lacrymis, lethoque datum eſt; ſat bella cruoris
Fudere, & diris popularunt cladibus Orbem.
Ergo humiles celſo, Pater, o Pater, excipe ab Axe
Aure favente preces; & noſtris annue votis:
Affer opem, & noſtræ tangat Te cura ſalutis.
Stet tibi nunc lapſis tandem ſuccurrere rebus;
Solvere captivos, duroſque effringere nexus.
Ah tandem æterni Soboles æterna Parentis
Adveniat, clauſique fores pandantur olympi;
Et patefacta feris claudantur Tartara ahænis.
Sic o, ſic nobis Cœli rorate benigni
Deſuper, & gravidæ nubes demittite Juſtum:
Pandat terra ſinum, & pactam fœcunda ſalutem
Germinet humano generi, Jeſſeaque Virga
Floreat, atque ex Sancto oriatur ſtella Jacobo.

Ecquan-

Ecquando Virgo ſervato intacta pudore
Felix concipiet paritura Hominemque, Deumque?
Fœminaque æthereum circumdabit incorrupta,
Numine flante, Virum, quo non felicior alter?
Sæcula fatidicis olim promiſſa Prophetis,
Et plena optato labuntur tempora curſu.
Ergo o deliciæ Magni nate unice Patris
Labere ſidereis, ſpes unica, labere ab oris.
O Oriens, ſplendorque Patris, clariſſima Mundi
Lux, & honos, qui clauſa aperis, qui claudis aperta;
Qui quondam a Moyſe in viridi flagrare rubeto
Viſus es, & legem fumante in Monte dediſti
Horrendas inter flammas, nimboſque ſonantes,
Inter & obſcuro jactata tonitrua Cœlo.
Emmanuel, legumque Dator, Davidica Clavis,
O decus, o magni clariſſima gloria Judæ;
Quemque omnes per tot ſperarunt ſæcula gentes.
O utinam cœlos quateres, greſſuque ſecares
Aera feſtino noſtras delapſus ad oras.
Tempus adeſt deſertæ extollere lapſa Sionis
Mænia, & everſos circum reparare penates.
Jamque triumphatas Genitor tibi ſubdere gentes
Pergit, & æternos devicto Acheronte triumphos
Inſtruere, & late ſummos indicere honores.
Se tibi, ſe meritis Sion feret obvia palmis:
Te reges metuent, metuent te pallida Regna.
Magnus eris; Solio David regnabis avito
Victor. Regna tuo parebunt omnia ſceptro.
Compoſità tum pace feres mandata volentes
Mollia per populos; toto dominabere mundo.

Ergo

Ab Jove principium Muſæ, Jovis omnia plena: (a) Inquiebat olim Virgilius. Inde enim auxilia petenda, inde nobis felicitas omnis expectanda: hoc autem litteræ inprimis hominibus præſtant. Ab his antiqui ritus reparantur; novi inducuntur, exempla virorum Pietate, ac Religione inſignium poſteritatis memoriæ mandantur, vetera facta, ac dicta in doctiſſimorum hominum ſcriptis conſervantur: quin & conceptarum precum verba, & ipſa divinæ vocis oracula nonne ab unis litterarum monumentis nobis exhibentur? Quamquam vero in animis omnium inſit lux illa cœleſtis procul dubio ac divina, quæ ob oculos mentis noſtræ, ut primum rationis uſus affulſit, ſublime illud, exceſſum, interminum, antiquius Cœlo, & Chaos dilucide conſtituit, ac repræſentat; niſi tamen illa frequentius ſublimiorum diſciplinarum ſubſidio, & diuturnà meditatione excitetur quodammodo, & eliciatur; obruatur penitus, & inanium cogitationum pondere, ac hujus vitæ ſollicitudinibus opprimatur, & reſtinguatur neceſſe eſt.

Sed hæc miſſa faciamus; longius enim petita alicui videri poſſent. Sed hæc, quæ recenſebo, quis ambiget, non proxime a litteris provenire? Quæ fortunæ bona dicuntur, quamquam ſummam hominibus afferre videantur utilitatem, plurimis nihilo ſecius obnoxia eſſe caſibus, nemo non novit. Itaque vel bellorum calamitatibus, vel aeris vitio, vel hoſtium ferro, vel temporum injurià, vel civium denique diſſidentium armis interire ſæpius videmus. Quare niſi conſilio, ac providentià tot ingruentibus malis occurratur, & opportuna aptentur remedia facile civitates ipſæ non ſolum debilitantur, atque decreſcunt, ſed evertuntur funditus, & con-

vel-

(a) *Bucolic. Eglog.* 3.

vellantur. Unde autem provida conſilia proveniunt, unde potiora parantur remedia; niſi maxime a litteris? Leges novæ condendæ, firmanda fœdera, ſtabilienda commercia, ſanciendà jura? Hoc litteræ præſtant, quibus mollitur feritas, humanitas commendatur, augetur fides, variæ perdiſcuntur linguæ, conciliantur nationes, diſſidia tolluntur, pax cohaleſcit, & amor populorum. Quamobrem non injuria Alphonſus Celtiberiæ Rex cum rogaretur, cui magis deberet, litteris, an armis? Litteris, inquit, quod ab illis arma didici, & armorum jura. Et merito quidem: Quoties enim accidit, ut urbes frequentiſſimæ, atque omni copiarum genere abundantes, ſolà rerum ignoratione, ac damnabili civium ſocordià penitus conciderint? Regna inſuper, atque celeberrima imperia hac eadem de causà nonne infeliciter occubuerunt? Plurima in medium afferre poſſem exempla ex certiſſimis veterum hiſtoriarum monumentis deprompta, niſi mira Imperii Romani viciſſitudo locupletiſſima nobis pro hac re ſufficeret teſtimonia. Toties enim affici cladibus, ac vires ejus imminui vidimus; quoties ad barbaros, litterarumque expertes Principes imperii gubernacula transferebantur: reſtaurari vero, & vigere quodammodo, & iterum caput extollere; quoties ad litteratos, & litterarum fautores pariter deveniebant. Quo, cedo, unquam pejori loco fuit Romana Reſpublica, quam cum, in Orientem imperii ſede translata, tumultuantium militum ſuffragiis, & inconditis populi vocibus, cuilibet, vel ex ipſa vulgi fæce, & liberalium artium, atque ingenuarum diſciplinarum imperito ſumma imperii deferebatur? Hinc, hinc potentiſſimi dominatus omnis inclinatio proceſſit. Contra vero illis ipſis barbaris temporibus; quid litteratus Princeps facere poſſit, vel unus Carolus Magnus cumulatiſſime

me demonſtravit. Ipſe enim nedum regni ſui fines ampliavit, ſed advocatis undique celeberrimis doctrinà viris, quin etiam in aulà ipsà ſua inſtitutis litterarum gymnaſiis adeò nomen ſuum longe, lateque diffudit, ut ab ultimis Mundi regionibus potentiſſimorum Regum, ac Principum amplas legationes exceperit, honoribus maximis affectus fuerit, & primus in Occidente Romanorum Imperator fuerit renunciatus. Primariam vero regni ſui ſedem conſtructo ibi celeberrimo totius Orbis Athenæo illuſtravit, adeò, ampliavitque, ut poſt Bizantium totius Europæ maximam, ac frequentiſſimam reddiderit civitatem. Hæc autem omnia urbis incrementa litteris accepta referenda eſſe, vel ex eo manifeſtiſſime patet, quod etiam hac ætate potior, ac frequentior ex tribus ampliſſimæ urbis partibus Academiæ dumtaxat nomine inſignitur.

Merito propterea dicebat Plato, tum fore felicem Rempublicam, cum aut Philoſophi imperarent, aut Principes ſtuderent ſapientiæ. Hinc temporibus omnibus maximi Imperatores, Reges fortiſſimi, invictique Duces, ac Dynaſtæ, ut diligentius ſubditorum felicitati proſpicerent, Reique publicæ conſulerent, undecumque eruditiſſimos, ac ſapientiſſimos Viros evocarunt, rebuſque ſuis præfecerunt, quod ii facilius ſe plurimam apud omnes gentes gloriam, ita adepturos putarunt, tutiuſque in ſuos ſe dominaturos ſperarunt: ſi horum virorum operà, ac conſiliis uterentur. An non Pyrrus Epirotarum Rex Cinnæ dixit diſerto Philoſopho, & Oratori, quem ſemper ſecum habebat: Maximam, Cinna, Diis habeo gratiam, quod in Regià procuratione, magniſque belli negotiis te mihi comitem dedere: plures enim urbes tua dicendi copia mihi dedit, quam mihi gladius non potuit? An non Cræſus Lidorum Rex, cum plurimis imperaret gentibus, quæſi-

tum

tum miſit omnes Græciæ ſapientiſſimos, quos adeo caros habuit, eorumque dicta tanti fecit, ut in ſummo vitæ diſcrimine Solonem unum ex ſeptem Græciæ Sapientibus, cum ejus monita in mentem ſibi revocaret, elatà voce, tamquam Numen aliquod in auxilium vocaverit? An non Philippus Macedonum Rex, Alexandri parens, quem ab Ariſtotele Peripateticorum Principe omnes ſcientias edoceri voluit, ejuſdem Philoſophi conſiliis plurimum in difficillimis Reipublicæ rebus uſus eſt? An non Darius Hiſtaſpis filius, Xerxis pater, clariſſimus Perſarum Rex Eraclytum Effeſium doctiſſimum virum acceſſivit, promittens ſe ſub ejus fore diſciplinà, omnemque ei cultum adhibiturum? Magna hæc ſunt nomina Auditores, magna ſanè. Verum quorſum iſta commemoro! Fuit, fuit ſemper potentiſſimorum Regum, qui feliciter regnare, & ſapienter imperare voluerunt, ſtudere litteris, & litteratis. Quin etiam quandoque accidit, ut ſæviſſimi tiranni litteratos viros maximi fecerint, & eorum ſuaſionibus plurimum conſuetæ crudelitatis remiſerint. Ex hoc fuere numero Antigonus, qui licet crudeliſſime dominaretur, vitiiſque ingentibus obrueretur, maximo tamen amore proſecutus eſt eruditos viros, præſertim Abionem philoſophum, ad quem etiam gravi morbo detentum filium ſuum magnis cum muneribus ſalutatum miſit: Uterque Dionyſius Siracuſarum Tyranni, quorum prior Platonem Tarento magnà cum ambitione perduxerat, ejuſque conſilio multum movebatur, niſi quà in re major cupiditas intercederet; Apud alterum vero tantum Philoſophus auctoritate potuit, valuitque eloquentià, ut perſuaſerit ei tyrannidis facere finem, libertatemque reddere Syracuſanis! Quorum igitur ferocitatem, atque ſævitiam nulla unquam pietas, nullæ lacrymæ, humanitas nulla commovit;

movit ; litteræ ſolæ emollire potuerunt , atque conterere. Quis igitur auſit negare ad cogendam civilem ſocietatem , ad humani juris leges confirmandas, ad pietatem fovendam, ac conſervandam Rempublicam, ad felicitatem denique comparandam litteras non valere ? Quis eas non amet ? Quis in ſinu non ferat ? Quis eas non proſequatur ? Patet ergo civitates illas eſſe omnium feliciſſimas, cæteriſque anteponendas, in quibus ſcientiæ omnes, ac diſciplinæ florent. Tum quia Sacroſanctæ Religionis cultum promoveant, Supremique Numinis reverentiam commendent, ipſum nobis propitium, ac benignum efficiant; tum quia cum juſtitiæ, & æquitatis jura dilucident, & inditam nobis naturæ Legem, ac morum diſciplinam, prælatà quodammodo face, indicent, atque commonſtrent, reddunt Principes beneficentiſſimos, Magiſtratus æquiſſimos, & ipſos propemodum Tyrannos minus Reipublicæ iniquos, atque ad ſæviendum tardiores.

Videamus nunc, quæ, quantaque ſint ea bona, quæ *immediate*, atque per ſe civitatibus litteræ præſtant. Quis quæſo, Auditores, non ſentiat iis in civitatibus, in quibus litterarum ſtudia florent, nullo fermè impendio, nulloque graviori incommodo illis artibus inſtitui adoleſcentes, quibus ætas puerilis debet informari ? Ingenuis primum imbuuntur moribus, ad politiorem cultum, vitamque rediguntur. Sic Ovidius olim.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Juvenes vero ad illuſtriora patriæ obeunda munera, ad Rempublicam benegerendam, ad pertractanda domi, foriſque negotia, ad gloriæ, famæque ſerviendum, ad ſtudendum amicis, ad graves perferendos labores, ad quælibet adeunda pericula

exci-

excitantur, & comparantur. Quem autem latet non niſi eos, qui ab ineunte ætate optimis inſtituuntur præceptis, veramque edocentur vivendi rationem, poſſe in tempore urbi proſpicere, familiæ conſulere, honoribus fungi, legationes obire, regum lateri adhærere, aliiſque hujuſmodi officiis incumbere, unde omnis Reipublicæ dignitas, omnium ſalus, vita, libertas fortunæ pendent? Adeo verum eſt inſigniora urbium ornamenta, & bona a litteris proficiſci, ut hujuſmodi cives aliquando adeo patriæ profuerint, ut ſine ipſis, aut nullæ propemodum fuiſſent, aut graviſſimis ſuccubuiſſent calamitatibus. Teſtis eſt Romana Reſpublica; quæ tamdiu ſtare viſa eſt quamdiu acerrimus libertatis vindex, idemque omnium litterariſſimus, ac doctiſſimus Cicero vixit: quo occumbente ipſa quoque Romana Libertas nunquam amplius ſurrectura procubuit. Teſtes Athenæ, quæ a Solone illo, cujus nuper mentionem fecimus, ſanctiſſimis munitæ legibus, unicum eum propemodum, ac ſolum pariter tyrannidis inimicum, atque impugnatorem adverſus Piſiſtratum habuerunt. Teſtes iterum Athenæ ipſæ, quæ libertatem Demoſtheni clariſſimo Oratori acceptam referunt, qui ingentis eloquentiæ vi armatus pene ſolus adverſus potentiſſimum Regem Philippum ſtetit, illumque non retardavit ſolum toti Græciæ imminentem, atque inſultantem, ſed repulit, infregit, atque contrivit. Mitto hic Alcibiadem Athenienſem, Epaminondam Thebanum, Themiſtoclem alterum Athenarum lumen, alioſque quam plurimos viros dicendi copiâ præſtantiſſimos, qui omnes patriam, vel ab hoſtium ferro, vel a conjuratorum civium impetu, eloquentiâ potius, quam armis in libertatem vindicarunt. Ex quo intelligi poteſt unum hominem aliquando ſolo litterarum præſidio pluris fuiſſe, quam integram civitatem.

Quid?

Quid? Quod ipſi civium mores ſcientiarum ſtudiis formantur, in melius traducuntur, & omnium virtutum habitus inducuntur mirifice.

Et ſane quoad ætas aurea ante Jovis adventum floruit, ut Poetæ loquuntur, regnante Saturno, homines a vitiis abhorrentes, omnibus hujus vitæ bonis feliciter fruebantur: nec adeo litterarum ſubſidio indigebant: ſponte enim, quod omnibus bonum videbatur, peragebant. Verum Saturno exulante cæptæ ſunt ſcientiæ edoceri, leges condi, artes exerceri, ut per eas improbitati hominum, qui ſuà non contenti forte, alienis inhiabant fortunis, ſe ſeque ſceleribus inquinabant, obſtaretur, illique ad meliorem frugem revocarentur. Nam ubi ſcientiæ negliguntur, cives otio ſe dedunt, ſenes nullà pollent auctoritate, juvenes voluptatibus indulgent, majorum juſſa detrectantur, artificia deſeruntur, virtutes exulant, ſcelera dominantur. Contra vero per litteras hujuſmodi malis occurritur, & humanitas omnis inducitur, & regnum obtinet virtus, & exercet imperium. Sic Athenienſes (cedo, hoc mihi date Auditores, ut iterum, & tertio florentiſſimam Rempublicam in litteratiſſimæ ſimul, ac feliciſſimæ civitatis abſolutiſſimum exemplum adducam) ſic Athenienſes, quod præ cæteris hominibus bonarum artium ſtudiis ſe dediderunt, referente Platone in Thimæo, præ cæteris quoque virtutum omnium genere excelluerunt. Quod Cicero animadvertens in oratione pro Flacco: Adſunt, inquit, Athenienſes, unde omnis humanitas, doctrina, Religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur. Quamquam quid loquor? Quid unquam, Dii immortales, quid ſapientiſſimos illos Philoſophos, quos poſteritas veneratur, quos hiſtoria memorat, quos antiquitas ipſa eſt admirata; reddidit opum contemptores, ſcele-

rum

rum hoſtes, morum magiſtros, Reipublicæ defenſores, æquitatis, ac Religionis obſervantiſſimos, niſi ſapientiæ ſtudium, cui mirum in modum dediti erant?

Age vero videamus quantum ſplendoris, ac famæ, quantum laudis, & gloriæ, quantum denique nominis tribuant litteræ hujuſmodi civitatibus. Quandoquidem in aliquà felicitatis parte ponitur etiam gloria, & laudis commendatio. Quot oppidorum nomina longà jam oblivione eſſent deleta, niſi aliquem ex illuſtribus illis, atque omni tempore celeberrimis viris in hanc lucem edidiſſent, qui aut ſcriptor per ſe ipſe fuerit, aut ſcriptorum amicus, & fautor? Quis Arpinum noſceret; niſi Ciceronis, & Marii incunabulis clarum fuiſſet, quorum alter res ad ſcribendum maximas, alter tum res ad ſcribendum, tum ſcripta ipſa æternitati amandanda ſuppeditavit? Quod ſi obſcura oppida tantum ſplendoris accipiunt ab uno, vel altero homine litterarum ſtudioſo, quid illis unquam fiet, quæ non ſolum aliunde quoque explendeſcunt; ſed omni tempore, atque in omni ſcientiarum genere ſapientiſſimis viris enituerunt? Quid eſt quæſo, quod magis illuſtret hanc civitatem ſummis alioquin laudibus celebrandam, & extollendam? Pace dixerim veſtrà; Non agri ubertas, non mercium copia, non flumen interfluens, non annonæ affluentia, non dignitas ædificiorum, non denique nominis antiquitas, aut vetuſtas originis; Hæc omnia magna utique ſunt, ſed non tanti eſſent habenda, nec tanto vobis eſſent ſplendori, atque utilitati; niſi ab illo celeberrimo Sapientiæ *Archigymnaſio*, in quo doctiſſimi viri omnigenà eruditione, ac cultu conſpicui, ſcientias omnes, ac diſciplinas profitentur, complementum acciperent, & perfectionem. Quis quæſo in letteraria Republica adeo hoſpes, & peregrinus eſt, ne dicam ferus, & bar-

Vallis Tellinæ Deſcriptio.

O Mihi, ſi veſtrum licuit conſcendere montem,
Et ſæpe aoniis haurire è fontibus undas,
Subdite Pierides citharam, vireſque ſecundas
Addite, ut emerito Tellinam carmine Vallem
Extollam, natale ſolum, patrioſque penates.
Magna jacet medios inter, juga Ræthica, montes,
Alpium in anfractu, longo circumdata Vallo,
Finibus Inſubriæ, Lario contermina ſtagno,
Cænomanos prope, Vindelicos, Bojoſque feroces,
Subdita Ræthorum (a) imperio clariſſima Vallis,
Vallis ab Euganeis primum regnata colonis.
Quæ tibi digna feram noſtro præconia cantu,
Vallis, quove tuum celebrabo carmine nomen,
O decus Italiæ, Ræthorum gloria, tellus
Fæcunda Heroum, ſtatio gratiſſima muſis?
Ut ſol cuncta nitens radiis ſuper eminet aſtra,
Sic tu omnes inter præſtas pulcherrima Valles.
Te labens rapido mediam ſecat Abdua (b) curſu,
Abdua, quæ multis torrentibus aucta ſuperbit.
Te frugum facilem reddit, rerumque potentem
Natura, atque locis primum donavit amænis.
Huc age, ne pigeat, celeres huc dirige greſſus,
Utque libet, magnam mirare hanc, Advena, Vallem.
Quæ ſpecies, quæ forma loci, quæ gratia Cœli,
Qui decor effulget, qui cultus, quæque venuſtas!

B Non-

(a) *Ræthi dominantur hic, ſed imperio mitiſſimo.*
(b) *Flumen nobile, quod totam Vallem interfluit.*

Nonne hic omnigenas effundit divite cornu
Copia divitias, & cives ditat avaros?
Suſpice in alternis ſinuatas orbibus Alpes,
Obſitaque antiquis prærupta cacumina ſylvis:
Cerne etiam virides frondoſo vertice colles,
Formoſos colles, & amæna in collibus arva;
Plurima pampineo quos undique vinea fœtu
Ornat, & ambroſias (a) prætendit vitibus uvas.
Non hic aut Boreas ſævis Aquilonibus inſtat,
Aut Tellus premitur Lybicis obnoxia ventis.
Sed placidi perflant euri; zefirique frequentes
Apricas tepido fæcundant flamine terras.
Namque hinc excelſis aſſurgunt cautibus Alpes,
Atque illinc humiles ſubſidunt vertice montes.
Hic nimium neſcit frigus, magnoſque calores
Incola, ſed cœlo gaudet, fruiturque benigno.
Quid varios memorem pagos, vicoſque frequentes,
Oppidaque antiquos teſtantia nomine Etruſcos?
Quid memorem umbroſos ſaltus, lucoſque virentes,
Et late effuſis arbuſta ſonantia ſylvis?
Arbuta, caſtaneas, corilum, glandeſque, nuceſque,
Baccas, aſparagos, cinaras, cum tubere ficos,
Prunaque, ſi cupias, & fraga, & punica mala?
Quid plenas ovium caulas, pecudumque catervas
Pinguiaque in riguis armenta errantia pratis?
Paſcua quid referam, viridi quid margine ripas
Fluminis, & læto fæcundos ubere campos?
Caſeus hic abacos pinguiſſimus implet acernos,

Fi-

(a) *Vinum hic optimum, & Acetum, quod aromaticum dicunt.*

Fiſcellas butyrum, pelveſque hic copia lactis.
Nonne hic præcipuo, ceu nuſquam, munere Divum
Bacchus, & alma Ceres ſedem poſuere beatam?
Culta ferunt gravidas multo cum fænore meſſes,
Rura, & maturas ingens terit area fruges.
Dulcia quid referam generoſi munera Bacchi,
Munera ſollicitis cenſu ſatis apta colonis?
Hic etenim plenis ſpumat vindemia labris,
Et magna innumeris incumbunt præla racemis,
Ampláque purpureo complentur dolia vino.
Vos ego, qui noſtras emptum properatis ad oras,
Teutonici, & magnum pro vino penditis aurum,
Teſtor, quam vobis libeat, quam nobile vinum
Veneat, & veſtris ornet convivia menſis.
Nonne etiam fœtos variato marmore montes
Cernis, & ingentes æris, ferrique fodinas?
Quam juvat hic lapides (a) tornare lebetibus aptos
Fingendis, tereteſque educere cautibus ollas!
Quid? te piſcandi tenet, hoſpes, blanda cupido?
Invenis hic gobios, ſalares, læveſque tymallos,
Et quotquot felix ſecum fert Abdua piſces.
Quod genus alituum non hic componere nidos
Gaudeat, & mulcere vagas concentibus auras?
Attagen, & perdix, ſcolopax, peregrina lagoïs,
Fringilla, & turdus, ficedula, rara coturnix,
Turtur, & aſſiduos repetit Luſcinia cantus.
Pellere difficiles effæto e corpore morbos

 Quæ-

(a) *Eſt quidam lapis in Valletellinâ, qui tornatus ollas, & lebetes humanis uſibus commodiſſimos præbet.*

Quæris, & amiſſam facile reparare ſalutem ?
Hæc Vallis medicas herbas, lymphaſque ſalubres
Sufficit, & calidis ſudantia balnea thermis.
Si vacat, & mæſtis animum ſubducere curis
Optas, & grato membra exercere labore,
Venatu invigila, ſaltuſque indagine cinge,
Montes exſupera, & ſylvas ſcrutare latentes:
Hic celeres curſu lepores, damaſque fugaces,
Cervos, capreolos, urſos, venaberis, apros.
Frigidulas umbras, lenes ex fronde ſuſurros
Hic libet excipere, & labentum murmur aquarum:
Muſcoſos fontes, mollique virentia muſco
Antra per anfractos late ſubmota receſſus.
Hortos heſperidum non hic exoptat amœnos
Incola, & Alcinoo viridaria conſita rege:
Nec cupit Aonios fontes, aut Theſſala Tempe.
Nunc memini, (neque vos latuit pia numina, Nymphæ)
Liber curarum, primo ſub flore juventæ,
Cum dorſo nemoris recubans frondente ſub umbrâ
Ilicis, argutâ modulabar carmen avenâ:
Tranquilla undiſono dum plauderet Abduà curſu,
Et celsâ aſpicerem pendentes rupe capellas,
Paſtoreſque procul calamis fidibuſque canentes.
Tunc mihi purpureo fulſerunt lumine ſoles,
Et mihi tunc blando riſit ſors dextera vultu,
Lætaque tranquillos pepererunt otia ſomnos.
Aſt ego jamdudum patriis avulſus ab oris
Infelix cogor longinquas degere terras.
Non hic inſidias, non hic horrere rapinas
Eſt opus, aut ſævas in aperta pericula cædes.

Pax

Pax ſecura viget bellorum exoſa tumultus,
Imperiumque ferox libertas aurea neſcit.
Hic genus ingenuum, facileſque ad commoda mores;
Mens, animuſque vigent, & firmæ in corpore vires:
Pollent ingenia, & virtus in pectore regnat.
O Patria, o Vallis vità mihi carior ipsà,
Libera majorum ſedes, & regna meorum!
O me felicem, vos o pia numina, veſtro
Munere ſi reliquos mihi ducere Jupiter annos
Hic daret, & feſſam tranquillo ſunere vitam
Explere, & patrio condi mea membra ſepulchro
Non ſciret in terris tunc me felicior alter.

De Domini adventu Veterum Patrum vota.

O Hominum, ſuperumque Pater, rerumque Creator,
Cujus ad imperium venti, ſævæque procellæ
Subſidunt, ponuntque feros freta concita fluctus:
Quem noſtri coluere Patres, quem dira minantem
Terra, Poluſque tremunt, & clauſis Tartara regnis.
Ecquando noſtras clemens miſerebere pænas,
Speratamque feres dextram tot caſibus? Omnes
Jamdiu in ærumnas trahimur, ſævoſque labores!
Ecquando afflictis, ſublato crimine, rebus
Impones finem, promiſſaque fœdera jungens
Dulcia defeſſis tandem dabis otia terris?
Ecquando venies Cœli reparare ruinas,
Atque novis vacuas ſedes implere colonis?
Aſpice bacchantem, ſpoliiſque ingentibus auctum
Dæmona, crudeles victorem condere leges,

 Ser-

Servitio premere indigno mortalia corda,
Horridaque innumeras raptare in Tartara prædas.
Non te tædet in infernis mortale tenebris
Jamdudum eſſe genus, triſtique occumbere letho?
Quorſum mortales duro ſub pondere noxæ
Languebunt, primique luent peccata Parentis;
Et ſolvent longas veteri pro crimine pœnas?
Quorſum in frondoſis ſylvis, templiſque profanis
Impia ſacrilegas litabitur hoſtia ad aras,
Surdaque gaudebunt cultu ſimulacra nefando?
Quorſum vaſtatas flammis ultricibus urbes
Flebimus, aut raptos inimicà cuſpide cives?
Fulmina pone manu, lethales pone ſagittas
Alme Parens, atque arma novo ſatiata cruore,
Arma in lucifugos Erebi jactanda tyrannos.
Sat lacrymis, lethoque datum eſt; ſat bella cruoris
Fudere, & diris popularunt cladibus Orbem.
Ergo humiles celſo, Pater, o Pater, excipe ab Axe
Aure favente preces; & noſtris annue votis:
Affer opem, & noſtræ tangat Te cura ſalutis.
Stet tibi nunc lapſis tandem ſuccurrere rebus;
Solvere captivos, duroſque effringere nexus.
Ah tandem æterni Soboles æterna Parentis
Adveniat, clauſique fores pandantur olympi;
Et patefacta ſeris claudantur Tartara ahænis.
Sic o, ſic nobis Cœli rorate benigni
Deſuper, & gravidæ nubes demittite Juſtum:
Pandat terra ſinum, & pactam fœcunda ſalutem
Germinet humano generi, Jeſſeaque Virga
Floreat, atque ex Sancto oriatur ſtella Jacobo.

Ecquan-

Ecquando Virgo ſervato intacta pudore
Felix concipiet paritura Hominemque, Deumque?
Fœminaque æthereum circumdabit incorrupta,
Numine flante, Virum, quo non felicior alter?
Sæcula fatidicis olim promiſſa Prophetis,
Et plena optato labuntur tempora curſu.
Ergo o deliciæ Magni nate unice Patris
Labere ſidereis, ſpes unica, labere ab oris.
O Oriens, ſplendorque Patris, clariſſima Mundi
Lux, & honos, qui clauſa aperis, qui claudis aperta;
Qui quondam a Moyſe in viridi flagrare rubeto
Viſus es, & legem fumante in Monte dediſti
Horrendas inter flammas, nimboſque ſonantes,
Inter & obſcuro jactata tonitrua Cœlo.
Emmanuel, legumque Dator, Davidica Clavis,
O decus, o magni clariſſima gloria Judæ;
Quemque omnes per tot ſperarunt ſæcula gentes.
O utinam cœlos quateres, greſſuque ſecares
Aera feſtino noſtras delapſus ad oras.
Tempus adeſt deſertæ extollere lapſa Sionis
Mænia, & everſos circum reparare penates.
Jamque triumphatas Genitor tibi ſubdere gentes
Pergit, & æternos devicto Acheronte triumphos
Inſtruere, & late ſummos indicere honores.
Se tibi, ſe meritis Sion feret obvia palmis:
Te reges metuent, metuent te pallida Regna.
Magnus eris; Solio David regnabis avito
Victor. Regna tuo parebunt omnia ſceptro.
Compoſità tum pace feres mandata volentes
Mollia per populos; toto dominabere mundo.

 Ergo

Ergo age, rumpe moras, noſtris illabere terris.
Exime colla jugo, & ſervili compede vinctos.
Languentes firmate manus, genua ægra levate,
Pellite corde metum, triſteſque reſolvite curas.
Adveniet ſperata ſalus, Deus ultor Olympo
Adveniet, voſque è multo citus eruet hoſte.
De Libano veniet, veniet de vertice Saron,
Per juga celſa Pharan, perque obvia rura Sionis
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.
Ergo ſidereas, Superi, modo pandite ſedes,
Pandite, jam æternum fœcundo è pectore Patris
Egrediens Verbum noſtras deſcendit ad oras.
Cernite jam medium concuſſo cardine Cœlum
Diſcedit, divina implet jam gloria terras.
PURAM DIVINUS FÆCUNDAT SPIRITUS ALVUM
VIRGINIS, HUMANOSQUE SIBI DEUS INDUIT ARTUS.

S. RAT-

S. RAYNERIUS, Civis Piſanus, antequam ad bonam frugem ſe reciperet, vitam agens lubricam a Beato Alberto Leccapecore corripitur.

QUo Puer infelix raperis? Quid vana ſecutus
Vota, ruis præceps nullo cohibente periclo?
Comprime feſtinos ab iniquo tramite greſſus;
Comprime: præcipitem nunc te via cepta moretur.
Crimina criminibus cumulare quid, improbe, pergis,
Irritare Deum, Cœlumque laceſſere noxis.
Quid? te non tædet ſtygio ſervire tyranno
Temnere virtutem, divinas frangere leges?
Quid tibi, Rayneri, quid prodeſt otia vitæ
Exitioſa ſequi, vetitiſque incumbere ludis?
Effuge delitias molles, teneræque juventæ
Sperne voluptates, & curis parce profanis.
Ergone te certis non mors inopina ſagittis
Deterret, patefacta ſuis non Tartara flammis,
Rayneri, neque fulmineo Deus ultor olympo?
Excute, dum licet, infandam de pectore labem;
Et tua perpetuis ulciſcere crimina pœnis:
Exime colla jugo, & ſerviles contere nexus.
Nonne vides, quantis tua naufraga pinus ab undis
Jactetur, quantamque ferat peritura procellam?
Ergo age, ſollicito oblatum pete remige portum,
Amplius infidis nec credas carbaſa ventis.
Dum tibi, vane Puer, patet alti janua Cœli,

Nite-

Nitere virtutem amplecti, veſtigia Chriſti
Pone ſequi, & rectam poſthac traducere vitam.
Sat culpæ, ſcelerique datum, ludiſque, jociſque.
Stet tibi nunc totis ergo contendere votis,
Quo te numen agit, quo te nova præmia poſcunt.
A teneris facile eſt in fræna ſoluta parato
Subdere calcar equo, totiſque incumbere habenis.
Ardua molimur, ſed nulla niſi ardua vincunt.

Miracula a S. Raynerio per aquas patrata.

QUid mihi ſæpe tuas inter Romana fluentes
Mænia, Tybris, aquas effers, quas Clelia Virgo,
Cocles (a) & abſciſſo trajecit transfuga ponte?
Me majora vocant majoribus edita ſignis.
Nam mihi fas ſacras revocare in carmina lymphas,
Rayneri, & patrata novis miracula lymphis,
Queis nomen (b) duxit, queis parta eſt vita, ſaluſque.
Corpora ſi gravibus languent informia morbis,
Lethifero ſi membra tument infecta veneno,
Diraque mors raptis populatur civibus urbem,
Pleno quiſquis aquas Rayneri gutture ſacras
Sumat, Rayneri pollentes undique lymphas
Fundat, Raynerium vocet in ſua vota ſecundum:
Palantes cedent morbi, cedentque venena
Noxia corporibus, vireſque in membra redibunt.
Non ſecus ac nitidos magno de gurgite tollens
Phæ-

(a) *Cognomen Horatii Equitis Romani.*
(b) *Nomen ſumpſit ab aquis.*

Phæbus equos, pellit gelidas Oriente tenebras.
Si quis in anguſto mærentem carcere vitam
Traducit; manicis, vincliſque aſtringitur arctis:
Auribus aut clauſis, aut dulci lumine captus,
Aut expers vocis, cupit aptas edere voces,
Optatos audire ſonos, & cernere ſolem,
Solvi compedibus, duroſque effringere nexus.
Raynerium poſcat, ſacratas hauriat undas,
Voti compos erit; grates aget inde Tonanti.
Dæmones egreſſi nigrà Phlegetontis ab unda
Obſeſſa ingratis ſibi ſubdent corpora pœnis,
Impedient artus, noctemque, diemque laceſſent?
Adſit Raynerius, ſacræ potentur & undæ:
Dæmones obſeſſo trepidi de corpore cedent.
Navita velifero deducens carbaſa malo
Ducat mercatam tranquilla per æquora navem
Connixo facilem ſubiturus remige portum:
Extemplo adverſis nigreſcant excita ventis
Cærula, jactatam allidant ad ſaxa carinam
Naufragium nautis, mortemque minentur acerbam.
Si quis forte tuos, Rayneri, fundet in æquor
Sacratos latices; pacato victa repente
Concidet unda ſalo, placidiſque coercita ventis
Annuet, & ſoſpes potietur littore navis.
Ergo quas dignas tanto pro munere grates
Nos tibi ſolvemus, quos aut referemus honores,
Rayneri, patriæ columen, ſpes una tuorum?
Si Deus ergo dedit te ſanctum Numen aquarum
Eſſe, tuiſque humiles juſſis famularier amnes:
Da Pater uſque tuas libare ſalubrius undas,

Da

Da precor, & lacrymis noſtras abſtergere noxas.
Sic tibi, dum rapido properabunt flumina curſu
Ad mare, certatim faciles ducentia lymphas;
Ibit, io! æternum Tyrrena per oppida nomen.

MARIÆ VIRGINIS in antro Bethleem JESUM CHRISTUM parientis affectus.

CAndida tranquillo fulgebant ſidera cœlo,
Pacatamque quies alta premebat humum:
Cum jam Bethleo ſenſim ſucceſſerat antro;
Straverat & parvum languida Virgo torum,
Præſcia venturi; partumque inſtare propinquum,
Aureaque æthereos tangere plectra choros:
Mox duplices humilis tendens ad ſidera palmas,
Edidit ardentes ore micante preces.
O Pater, o hominum, rerumque æterna poteſtas,
Tartara quem metuunt, quemque ſuperna colunt;
Fac, precor, ætherias optatæ lucis in auras
Prodeat intactæ Virginis e gremio
Hæc tua Progenies, longos ſperata per annos,
Quam proprio cretam ſanguine læta tuli.
Fæcunda optato floreſcat germine tellus;
Maturus gravidà ex arbore fructus eat.
Exeat obſcuris Mundi lux alma tenebris;
Exeat è clauſo carcere parta ſalus.
Naſcere quondam atavo promiſſum pignus Abramo,
Vera Dei Soboles, naſcere magne Puer.
Naſcere delitiæ Matris, Cœlique voluptas,
Una hominum requies omnium, & una ſalus.

Non-

Nonne audis ſuperos modulari carmina Cœtus,
Pulſaque jucundis obſtrepere antra ſonis?
Ergo tu roſeis dabis oſcula blanda labellis,
Deducens teneras noſtra per ora manus:
Ubera plena petens, & collo brachia nectens,
Reptabis noſtro, Care Puer, gremio.
Ergo age, rumpe moras, cupidam ſolare Parentem:
Te nato, tellus geſtiat, atque Polus.
Sic memorans, fruiturque Deo, divinaque verſat
Pectore, purpureas imbre rigante genas.
Extemplo nullo niſu, nulloque dolore
Infantem clauſo protulit ex utero.
Ut manant nitidæ per candida lilia guttæ,
Perque pruinoſas mane rubente roſas.
Vix utero egreſſum Virgo lætiſſima Natum
Senſerat, & querulis antra ſonare modis:
Collocat in tereti ſtipulà, fænoque tepenti,
Quem pannis flentem, faſciolisque ligat.
Terque illum venerata, ter oſcula dulcia junxit,
Atque dedit blando mollia verba ſono.
Salve care Puer, Sanguis meus, & Deus ipſe,
Æternus ſummà te Pater auctet ope.
Expectate diu, votiſque vocate ſecundis
Dexter ades, parvo quem tegit herba loco.
Belle Puer, mellite Puer, Nate unice tandem
Maternas facili percipis aure preces.
Fas mihi te cupidis tandem vincire lacertis,
Et tua fas molli membra fovere ſinu.
Incipe adorantem riſu cognoſcere Matrem,
Incipe lac plenis ſugere ab uberibus,

Mago-

Magorum Adoratio.

MUnera ferte citi, manibus date plurima plenis
Dona, nimis longas præcipitate moras.
Huc agite, huc omnes feſto nova gaudia plauſu
Edite, feſtivis perſtrepat aura ſonis.
Infantem Cœli jam narravere jacentem
In ſtabulo, natum jam cecinere Deum.
En novus eoo jam ſplendor fulget ab ortu;
En nova mirantes Stella trahit populos.
Jam patrias ſedes, jam regna relinquere avita,
Et celeres certo ſidere ferre gradus
Tres gaudent Reges, magnà comitante catervà,
Plurimaque Infanti munera ferre Deo:
Munera ferre Deo, quibus hi teſtentur amorem,
Et Puerum prodant regem, hominem, atque Deum.
Tollere, ſurge Sion, (a) veteres expelle tenebras,
Et meſtum dubio è pectore ſolve metum.
Te ſuper è caſtà prodivit Virgine Numen
Illuſtratque tuas gloria magna plagas.
Ergo age, læta novo ſublimes tolle triumphos
Regi, & ſterne altas fronde virente vias.
Aſpice, longinquis tibi quos deduxit ab oris
Reges inſueti ſideris almus honos:
Aſpice equos, currus, ſervos, hirtoſque camelos,
Quos pius à terrà divite mittit Arabs.

Jam

(a) *Iſaias* LX.

Jam læti ſubeunt Solymorum menia reges,
  Regem jamque petunt urbe ſtrepente novum.
Herodes quid inique times, quid barbara verſas
  Conſilia, atque paras interitum Puero?
Non inhiare opibus venit, nec regna potiri,
  Qui dat ſidereas, munera larga, domos.
Quo Reges tenuiſtis iter? Quæ mænia adiſtis?
  Non illuc veſtros prævia Stella gradus
Duxit: Non magnam novus Infans eligit urbem,
  Qui ferre humanas venit ab Axe vices.
Flectite iter, Reges, Solymorum linquite ſedes;
  En iterum ſignat nuntia Stella viam.
Omnia fauſta cano: vobis reperire Puellum
  Fas erit in tenui, ſidere eunte, Caſa.
Fas erit & meritos olli perſolvere honores,
  Oſculaque in ſacros figere multa pedes:
Denique theſauris depromere plurima apertis
  Munera, & ardenti reddere vota prece.
Talia jactabam: firmo cum ſidere Reges
  Bethleæ ſubeunt tecta beata Caſæ.
Dicite, io, quantis caluerunt pectora flammis,
  Dicite, io, afflatos gaudia quanta Magos
Affecere: humilem fæno, paleiſque cubantem
  Dum ſpectant natum paupere in æde Deum.
Obſtupuere, citique ſacrata per antra ruentes
  Parvulum adorarunt terque, quaterque Deum.
Ut caruere genæ lacrymis, animuſque ſtupore:
  Has humili teneras corde dedere preces.
Poſt varios caſus, terræque, viæque labores
  Te tandem in parvà fas reperire Caſa,

Salve; quem Balaam, (a) quem prædixere Prophetæ
Venturum, veteres quem cecinere Patres.
Salve, quem cunctæ cupiere ab origine gentes,
Quemque hominem noſcunt omnia, quemque Deum.
Tu tua ſidereis nos ad cunabula ſignis
Duxiſti, tutum qua via pandit iter.
Janua jam patuit, jamque eſt data copia cunctis
Gentibus, imperio ſubdere colla tuo.
Ergo quis dignas poterit tibi ſolvere grates,
Vera Dei ſoboles, verus & ipſe Deus?
Hæc tibi, quæ tulimus, noſtri ſint pignus amoris,
Care Puer, meriti pignus, & obſequii.
Nos, o felices, nos terque, quaterque beatos,
Contigit Infantem queis coluiſſe Deum.
Felices caſus, felices dicere greſſus
Nunc licet, & longe grata pericla viæ.
Quæ nobis patuere, novas referemus ad oras;
Ibit ad eoas & tua fama plagas.
Et quamquam inviti patrias redeamus ad ædes;
Uſque tibi noſtrum linquimus hic animum.
Talibus orabant: Contra Puer ore ſereno
Subridens oculis annuit atque manu.

Dum

(a) *Numeri cap.* XXIV.

Dum Sacra Dominicæ Paſſionis Hiſtoria legeretur, BEATUS ALEXANDER SAULIUS, Aleriæ primum, dein Papiæ Epiſcopus migrat e vita.

SAulius extremas lecto cum duceret horas;
Eſſet & ad ſuperos rectà habiturus iter:
Sacra legebantur paſſi Myſteria Chriſti:
Lætus adeſt animo, vocibus, ore favet.
Percipere æternæ viſus ſibi dulcia vitæ
Gaudia, & angelicis certus adeſſe Choris.
Lector, ut extremo languerunt frigore membra,
Subſtitit, exangui ut fugit ab ore color.
Quid mihi, Præſul ait, promiſſi gaudia Cœli
Differs? Quid caro a Numine me prohibes?
Non ita ſecuros ſuſpirat navita portus,
Cum ſe ſe in mediis ſentit obire vadis.
Ut mea te crebris ſuſpirant pectora votis,
Alme Deus, noſtri vita, saluſque animi.
Jam ſatis humanæ decurrimus æquora vitæ:
Jam firmet noſtras ancora jacta rates.
Poſt varias hominum curas, duroſque labores
Sit mihi in æthereis aurea vita Choris:
Accipe me terris, cœloque immitte patenti:
Me tibi redde, precor; Corpus inane ſolo.
Me promiſſa manent ſperatæ gaudia vitæ,
Meque beata vocant agmina Cœlituum.
En Deus, ecce Deus: morienti occurrite cœtus

Angelici, & ſubitam ferte frequenter opem.
En lætus morior: feſſæ date ſerta carinæ:
Contigimus portum, quo mihi curſus erat.
Dixit; & in tenues moriens evanuit auras,
Celſaque feſtino ceſſit ad aſtra gradu.

Ad Navim Beatum Alexandrum Saulium in Corſicam delaturam.

O Navis magnis pelagi defuncta periclis,
Et vinci mediis neſcia turbinibus.
Quo dono, quonam ſubito celebraris honore?
Quæ ſors, quæve dies nunc tibi fauſta venit?
Se tibi Alexander credit nova regna petentem,
Viſurumque tuas, Corſica terra, plagas.
Præſul Alexander famà ſuper æthera notus,
Virtutis ſtudio nobilis, & genere.
Hic Pauli imperio rexit ſacra clauſtra ſupremo,
Et poſuit ſanctis optima jura viris.
Hoc duce vitabis ſirtes, ſcopuloſque minaces,
Quæque latent tacitis cærula monſtra vadis.
Non te pœniteat fluctus tentare profundos,
Plena nec ancipiti credere vela noto.
Hujus ad imperium venti, ſævæque procellæ
Tranquillo faciunt debita juſſa ſalo.
Ergo agite huc zefiri flatu ſpirate ſecundo,
Ducite felicem per freta cæca ratem.
Adverſi nullo confligent turbine venti,
Incutiet ſævas aura nec ulla minas.

Nul.

Nulla ſtrepent nigro jactata tonitrua Cœlo;
  Nullus & in placidas irruet auſter aquas.
Vincent obſcuras radiantia ſidera noctes;
  Sole ibunt placidi candidiore dies.
Quis mihi nunc tantam dabit aſcendiſſe carinam;
  Et facili inſuetam gurgite inire viam?
Non me ventoſis pluvius terreret Orion
  Nimbis; non imis ſtagna refuſa vadis.
Felix! ſi incolumem Corſis ſe ſiſtet arenis
  Saulius, optatos viderit & populos.
Prima coronatas inter numerabere naves,
  Et prima obvenient in ſtatione loca.
Soſpite Alexandro, magnis te læta triumphis
  Corſica, & alternis plauſibus excipiet.
Ergo age, multiplici freta ſcinde Lyguſtica conto,
  Corſicæ Alexandrum redde, vel incolumem.

S. RAYNERII ad Chriſti Domini Sepulcbrum profecti preces, & vota.

SAlvete auguſti monumenta verenda Sepulchri,
Salvete æterno buſta dicata Deo.
Adſumus o tandem, quo me meus ardor agebat;
Tangimus & cupido limina ſacra pede.
Nunc voti compos: non me nova gaudia fallunt:
Mens ardet ſtudio, fletibus ora madent.
Nunc mihi fas ſacro tandem libare Sepulchro
Oſcula, & ardentes fundere rite preces:
Munera largiri, meritos perſolvere honores,
Puraque munifico reddere vota Deo.
Hic quondam jacuit crudeli funere merſus
Chriſtus, pænarum cum genus omne tulit.
Hic jacuit mortis victor, hic victor Averni;
Quique luit veterum crimina prima Patrum.
Hic ſurgens tumulo rediit ſub luminis auras
Victor, ovans, magnis dives & exuviis.
Felix, o nimium felix, finire ſupremos
Si mihi fas eſſet præcoce morte dies.
Felix, qui vigilem ducit noctemque, diemque,
Janitor & ſacras excubat ante fores.
Advena longinquis ſæpe huc digreſſus ab oris
Venit adoratum plurima dona ferens.
Sæpe precaturi hic ponunt diademata Reges,
Et ſubdunt Regi ſe, ſua regna Deo.
Huc veniunt, qua ſol eoo exurgit ab orbe,
Et qua præcipites in mare volvit equos.
Talibus orabat; lacrymiſque per ora volutis
Ille animi explebat conſcia ſenſa ſui.

Piſarum Lætitia in reditu S. Raynerii è Paleſtina.

UT primum ad patrios Cœlo ſuadente penates
Schaccier (a) eoo ſoſpes ab orbe redit.
Non ita Trinacrio (b) lætata Alphea (c) triumpho eſt,
Cum ſenſit validas inſula victa manus.
Non ita, cum fortes metuens Carthago phalanges,
Subdidit Alpheo colla premenda jugo.
Nec ſic, exuviis pubes Piſana cruentis,
Cum pepulit Mauros Marte favente duces.
Nec ſic, cum domitis ſpoliis Orientis onuſta
Victrix perculſo Claſſis ab hoſte redit:
Quanta coronato teſtata eſt gaudia portu
Urbs ipſa, & quantam lætitiam exhibuit:
Cernens Raynerium Solymorum ex urbe regreſſum,
Ingreſſumque ſuos regna paterna lares.
Qualis nocturnas pellens Oriente tenebras,
Sol ducit nitidum mane rubente diem,
Qualis & in rapido jactatis turbine nautis
Stella ſecunda nitet, lenis & aura venit:

(a) *Cognomen S. Raynerii.*
(b) *Palmæ, & Victoriæ a Piſanis relatæ.*
(c) *Nomen Piſarum a Piſeis conditarum, ductum a Fluvio Alpheo, juxta quem vetus Piſa in Elide: Sic Virgilius* lib. 10. Eneid.

Alpheæ ab origine Piſæ
Urbs etruſca ſolo.

Juxta Piſam celebrabantur Ludi Olympici.

Talis in Alpheis Raynerius aſtitit oris;
  Solatus cives pignora cara ſuos.
Undique feſtivi tolluntur ad æthera plauſus,
  Urbs & jucundis perſtrepit icta ſonis.
Cernite, ut ad carum puerique, ſeneſque Parentem
  Gaudent feſtinos ferre, referre gradus.
Olli quiſque novos certatim indicit honores,
  Sternit & adverſas fronde virente vias.
Patrem omnes clamant, Patrem gratantur amantem;
  Cunctorumque Patris nomen in ore ſonat.

S. Raynerii morientis extrema verba.

CŒlicolum Pater, & ſummi metuendus Olympi
  Rector, quem tellus, pontus, & aſtra colunt.
Permenſæ extremas ad vitæ venimus horas;
  Jam rapido ſubeunt ultima fata gradu.
Viximus: & fauſto confecimus omine curſum;
  Nec fert majores vita peracta moras.
Crimina præteritæ deflens patrata juventæ,
  Si merui Numen dextero ab axe tuum:
Et mihi ſi licuit divinum oſtendere nomen,
  Edere & in patrio plurima ſigna ſolo (a).
Nunc quoque, ſi ulla meæ tangit te cura ſalutis,
  Adſis, & ſubitam, quam potes, affer opem.
Da, Pater, hos tandem fragiles effringere nexus
  Corporis, & voti poſtmodo compos ero.

Hu-

(a) *S. Raynerius plura patravit miracula in Patria.*

Humanos liceat, liceat finire labores,
  Scandere & optati regna ſuperna Poli.
Non ita amat patrios peregrinus adire penates;
  Summum ſuſpirant ut mea corda Deum.
En video Cœlos, fulgentia limina, apertos:
  En video æthereos, agmina læta, choros.
En video: *Aſt olli mox dicere plura paranti*
  Feſtino data ſunt aſtra terenda pede.

Piſæ S. Raynerium civem ſuum Patronum ſibi deligunt.

SAncte Pater, meriti ſpectabilis incola Cœli,
  Rayneri, patriæ ſpeſque, ſaluſque tuæ.
O decus Alpheæ, Tyrrenæ o gloria gentis,
  O columen rerum, nomen, & almus honor:
Huc age supplicibus patriæ, Pater, annue votis,
  Et fauſto aſſiduas excipe ab axe preces.
Excipe ab axe preces: multis altaria flammis
  Dum fumant; Cives dum tua ſacra canunt:
Aſpice, quos Alphea tibi perſolvit honores,
  Quæque ornat tumulum pompa ſuperba tuum.
Omnes ſerta parant, omnes tibi munera præbent,
  Et ſacris adolent maſcula thura focis.
Debita votivis ſuſpendunt dona tabellis,
  Et figunt celſis pegmata picta tholis.
Impia ſi meritis ulturus crimina pœnis
  Torquebit vindex tela triſulca Deus.
Tu dextram cohibe, tu juſtos frange furores,

 Et

Et placidum ſubitam poſce Deum veniam.
Nimbis ſi pulſis fervens exarſerit Ether,
Et ſicca infenſo ſidere hiabit humus:
Aut imbres pluvio labentur ab axe perennes;
Sternet & oppoſitos turbidus Arnus agros:
Sæva vel Etruſcas populabunt cladibus urbes
Prælia, ſeu cives noxia in arma ruent.
Stet tibi fatales procul hinc avertere caſus;
Siſque decus patriæ, præſidiumque tuæ.
Da, Pater, æterno ſemper parere Tonanti,
Et nullà inſontes ducere labe dies.
Ut nobis tandem liceat poſt funera tecum
Degere promiſſi regna beata Poli.

In Nuptiis Joſeph Zucchetti Piſani, Equitis S. Stephani P., & M. cum Angela Sardini Lucenſi nobiliſſimà puellà.

NAjades, Etruſci gratiſſima, Najades, Arni
Numina, & Alpheæ fama perennis aquæ:
Quæ modo, quæ veſtram pertentant gaudia mentem?
Quis novus egregio fulget in ore decor?
Si ſemper veſtra intactæ ſunt cura Puellæ,
Si dulcis molli in pectore luſit amor:
Itæ citæ, tumidis Æſar (a) quà volvitur undis;
Libera fertilibus, qua Dea (b) regnat agris.
Ite,

(a) *Flumen Lucæ.*
(b) *Libertas Lucenſis Reipublicæ.*

Ite, parate viam, facileſque accendite tædas;
Flammea victrici lutea ferte manu.
Texite nobilibus baccata monilia gemmis;
Texite odoratæ myrtea ſerta comæ.
Nunc opus eſt dulces ad ſydera tollere cantus;
Nunc opus eſt lætos ducere in orbe choros.
Ecce puellarum pulchro circumdata cætu,
Accedit magno Virgo juganda Viro.
Nocturnas ut mane fugans oriente tenebras
Aurora in roſeis vecta propinquat equis:
Sic Virgo Alpheos ſubiens, nova Nupta, Penates,
Virgineo inſuetum ſpirat ab ore decus.
Quam circum Charites gaudent, Venereſque, Jocique
Purpureo facilem ſpargere flore viam:
Quamque ſequens feſtinus Hymen nova gaudia miſcet,
Ardentem quatiens igne micante facem.
O decus Æſaridum, genus alto a ſanguine Divum,
Nubere cum tanto digna Puella Viro.
Tu nive candidior, tu ſole nitentior ardes,
Formoſa, & culto conſpicienda ſinu.
Surge, age, ſurge: omnes è pectore ſolve timores:
Libera tes Amor eſt: libera quærit Amor.
En tibi perpetuo ſociatus fœdere Sponſus;
En tibi, quem felix, Angela, jungit Amor.
En tibi Joſephus, quo non præſtantior alter
Virtute, ingenio, nobilitate, modis.
En tibi Joſephus, doctarum cura Dearum:
En decus, en patriæ gloria prima ſuæ.
Nunc licet amplecti, nunc dextræ jungere dextram,
Et nova feſtivis gaudia mixta jocis.

Vos o felices, fauſtoque ſub æthere natos,
Quos thalami junget mutua pacta fides!
Dum favet ingenium, viridem modo carpite florem;
Ver lætum fugiet, pigra ſubibit hyems.
Quales Heroas, quales Alphea Nepotes
Hic tibi ſpondet Hymen, hic tibi gignet Amor!
Nullus Hymen tales unquam deduxit Amantes;
Nullus Amor Sponſos vidit in urbe pares.

Piſanæ Cartuſiæ Deſcriptio.

EST Calcidiacos inter pulcherrima Colles
Vallis, quam Charitum nomen habere ferunt:
Quam ſuper aſsurgens pater Appenninus ab alto
Deſpicit, & cultos vertice obumbrat agros:
Qui paſſim arboribus, paſſim ſurgentibus herbis
Sufficiunt dominis pabula læta ſuis.
Hinc mare tranquillas nautis oſtentat arenas;
Effuſas illinc rura beata caſas,
Rupe (a) ſuper ſummâ vicinam arx deſpicit urbem;
Et jacet informi ſemiſepulta ſitu.
Hic ſtrepit arguto viridiſſima ſylva ſuſurro;
Pictaque florenti gramine terra viret.
Hic avium cantus, hic flantes leniter auræ;
Parvaque collectis Zambra (b) ſuperbit aquis.
Hic circum multà late nemus imminet umbrà;
Et profert baccas plurima oliva graves.

Veſti-

(a) *Mons altiſſimus, vulgo* la Verrucola, *olim Piſanorum ſpecula.*
(b) *Parvus Torrens.*

Veſtibulum ante ipſum, celſoque in fornice portæ.
  Suſpiciens hoſpes grandia verba legit:
Quam placet ignotis ſibi ſoli vivere clauſtris;
  Avia degentem gaudia ſola manent.
Area gramineo primum latiſſima prato
  Auguſtum in primo limine pandit iter:
Quam circum varias hinc, illinc ſurgere Cellas,
  Omniaque humanis uſibus apta vides.
Ecce tibi lauto conſurgit ad æthera cultu
  Moles marmoreo religioſa gradu.
Ergo age, perge, ſacris ſuccede penatibus, Hoſpes,
  Flecte genu, magnum mente precare Deum.
Sedibus in mediis, parvoque in vertice Templum
  Emicat auratis undique imaginibus.
Quis non hinc, illinc parvas mirabitur aras,
  Quas aurum veſtit, gemma, vel ornat ebur?
Queis ſuper innocuo peragit Sacra corde Sacerdos,
  Placat & iratum thure calente Deum.
Arte laboratas, oſtroque, auroque rigentes
  Pone ſacras veſtes Scrinia multa tegunt.
Porticus alta ſubeſt phariis innixa columnis,
  Amplaque candenti marmore Clauſtra nitent.
In medio vivus, ſignis ornatus eburnis,
  Fons nitidas dulci murmure volvit aquas.
Quem circum ætas certatim ludere Nymphas
  Credas & blandos ducere in orbe choros.
Nunc age, tende Hoſpes, Patrum mirare cubicla,
  Et ſcrutare vagis omnia luminibus.
Hic aptas ſellas, hic ſacros inſpice libros:
  Hic capit injectas cedrina menſa dapes.

Hic

Hic tabula ad dios invitat plurima ſenſus;
  Accipit hic purus languida membra thorus.
Septaque purpureis viridaria floribus halant;
  Et curvant ramos aurea poma ſuos.
Atria longa patent variis decorata figuris;
  Et pendent mediis pegmata picta tholis.
Magna illinc tereti ſurgunt Cenacula Cedro,
  Linteaque alpina candidiora nive.
Sæpe illic feſtis mos eſt accumbere menſis,
  Mutua & appoſitos ſumere lance cibos.
Hinc faciles epulas camerata culina miniſtrat,
  Et fervent medio concava ahena foco.
Nec procul hinc ſacram fas eſt penetrare paleſtram,
  Quâ mentem informes, ingeniumque colas.
En tibi certatim veterum monumenta laborum
  Oſtentant doctos Scrinia longa libros.
Ponè domos alias, aliaſque inviſere ſedes
  Fas eſt, quà hoſpitibus nobilis aula patet.
Aurati hic fulgent poſtes, vitreæque feneſtræ,
  Et paries miris pictus imaginibus.
Hic quoque diſpoſitas formoſa ſedilia Cellas
  Ornant, & molles ſtragula picta thoros.
Colle ſub adverſo, longo circumdata Vallo,
  Vinea fert vacuis dulcia vina cadis.
Hortus & innumeris ſemper cultiſſimus herbis
  In parvo agreſtes æquore fundit opes.
Felices Patres, fauſtoque ſub æthere nati,
  Queis datur hic tutos ducere poſſe dies.
Qualis lethali confixus vulnere Cervus
  Ad medicas curſu præpete fertur aquas.

Haud

Haud aliter ſacris ſuccenſi pectora flammis
Ad ſperata cito tenditis aſtra gradu.
Colloquio dulci ſuperumque, deique fruentes
Temnitis humanas ſorte favente vices.
Non vos illecebræ, vanoque ſuperbia luxu,
Non vos ambitio tangit, & ardor opum.
Eſt etenim vobis mens omnibus una ſequendi
Omnia, quæ Numen, quæ Pater ipſe jubet;
Innumeris ornare animos virtutibus almos,
Juſtaque Tartareo bella movere Duci.
Vos mediæ noctes, vos ſydera plena canentes
Mirantur ſacro ſemper adeſſe choro.
Non hic ingratis tabeſcunt pectora curis,
Hic nullum admittunt libera corda metum.
Pax ſecura viget, nullo turbata tumultu;
Dulcis regnat amor, regnat & alma quies.
Hic datur aſſiduis Cœlum contendere votis,
Et datur Angelicos cernere poſſe Choros.
Ergo agite, o nacti felicem ex Æthere ſortem;
Quos Numen ſervat, queis Pater ipſe favet.
Durate, & cœlo vos met ſervate parato;
Jam patet ad veſtras janua ſumma preces.
Vos æterna manent æternæ gaudia vitæ,
Mox cingent veſtras aurea ſerta comas.
Ardua moliti totas intendite vires;
Pergite, & incæptam, dum vacat, ire viam.
Sancte Pater, duræ conſtans habitator Eremi,
BRUNO, quem civem cœlica regna tenent,
Hos tua ſectantes firmo veſtigia greſſu
Reſpice, & optatam pervigil affer opem.

Tradu-

Traduzione.

FRa i vaghi colli, onde va Calci altero,
Avvi un' amena, e deliziosa Valle,
A cui le Grazie (a) il lor bel nome diero.
Il gran Padre Appennin, ch'ave alle ſpalle
Contro de' venti aquilonari ſchermo,
E in un corona di ſe ſteſſo falle.
Ivi non è il terren ſterile, ed ermo:
Ma ogn' anno al ſuo Signor ricolma il ſeno,
Più che ſe vi ſcorreſſe il Tago, e l'Ermo.
Quinci in diſtanza vedi il mar Tirreno,
Per cui ſcorron le navi agili, e pronte:
Quindi il Piſano ſuol di caſe pieno.
E vedi poi fra la Campagna, e il Monte
Sovra una rupe alzarſi Rocca antica,
Che par che i danni ſuoi miſuri, e conte.
Per ogni lato ſpira un' aura amica,
Che fra gli alberi ſcherza, e i fiori deſta
Per l'erba verde della piaggia aprica.
Quivi ſan gli augelletti allegra feſta,
E col ſuo roco mormorio, e baſſo
Zambra d'accompagnarli non s'arreſta.
Coll' umbra ſua, dovunque volgi il paſſo,
Il pingue Ulivo de' ſuoi frutti onuſto
A ripoſar t'invita il fianco laſſo.

Ma

(a) *Valle Grazioſa ſi chiama il luogo dove è la Certoſa di Piſa.*

Ma per marmorei gradi un non anguſto
  Varco ti s'apre, a quel che in giro ſorge
  Sagro Edifizio religioſo, auguſto.
Entra pur dunque, ove la via ti ſcorge;
  Ma ſappi, che neſſun v'entra, ſe prima
  All' alto Nume i ſuoi voti non porge.
Alza anco gli occhi, e ciò, che leggi in cima (a)
  Di quella porta a gran lettere ſcritto,
  Fa, che nel cor profondo a te s'imprima.
Oh quanto è dolce fuor del folle Egitto
  Vivere in ſolitudine! Beato
  Ch'il prova! Ei poggia al Ciel per cammin dritto.
Dopo l'ingreſſo un verdeggiante prato
  Ti viene innanzi, e a proſeguir t'invita
  D'alberi intorno, e di edifizj ornato;
Ove ai biſogni dell' umana vita,
  (Che tanti ſon) diſpoſti in varie Celle
  Trovi il rimedio, e l'opportuna aita.
Nel mezzo il Tempio par che all' alte ſtelle
  S'erga ſublime in ogni parte adorno
  D'immagin ſacre d'or fregiate, e belle.
Qui i Sacerdoti giuſta il priſco ſtile
  Placan l'ira di Dio, quando più ferve,
  Con ſagri incenſi, e cor devoto umile.
Nel vicin atrio avvien, che ſi conſerve
  Di porpora conteſto, e d'oro, e d'oſtro
  Il ſagro arredo, che agli altari ſerve.

Ma

(a) *L'Inſcrizione, che ſi legge ſopra la porta della Certoſa è queſta*: O BEATA SOLITUDO.
O SOLA BEATITUDO.

Ma entriamo poi nel bel marmoreo Chioſtro,
Che è poſto in quadro; e in ver l'opera è inſigne,
A cui giugner non puote il ſecol noſtro.
Fonte di ſtatue adorna, onde s'attigne
Freſca, e dolce acqua, in mezzo ivi ſi vede,
E un orlo alabaſtrin tutta la cigne.
Delle Najadi par proprio la ſede;
E par che ſian qui intorno, e al ſuon dell'onde
Percuotan carolando il ſuol col piede.
Or entra, o Foreſtiero, ove s'aſconde
La vita di que' Santi Abitatori,
Che l'ore traggon quì liete, e giocondo.
Alcuni libri ſono i lor teſori,
E alcuni ſeggi, e un picciol deſco, al quale
Prendon dopo il digiuno i lor riſtori,
E qualche immago pia, che al penſier ale
Porge di gire al Cielo, e un letticello
Per dar ripoſo al corpo ſtanco, e frale.
Have anche ognuno ún picciolo orticello,
Ma di fiori sì adorno, e pien di frutti,
Che invidia reca a ogni giardin più bello.
Ecco, che agli Atrj noi ci ſiam condutti,
U' ſemplice beltà l'arte figura;
In ogni parte ſon sì ben coſtrutti.
Il Cenacolo è preſſo, ove a natura
Fia, che il caro riſtoro ognun diſpenſe
Per far ſatolla l'innocente cura.
Non lungi il cibo appreſtaſi alle menſe,
E vedi ben quante qua, e là diſperſe
Sul fuoco ſtan vaſte caldaje immenſe.

Ma

Ma ve', come vicino un varco aperſe
Minerva illuſtre a ogni più nobil arte,
Onde alla mente i cupi errori aſterſe.
Or vieni meco in più riposta parte,
E quelle ſtanze, u' ſon gli Oſpiti accolti,
Dimoſtrerotti tutte a parte a parte.
Or tu vedi, dovunque gli occhi hai volti,
Tele, opre, tutte di pennello eletto,
Cui manca ſolo, che parlar le aſcolti.
Ricche ſeggiole intorno, ed un bel letto
Per ogni ſtanza dilicato, e molle;
Di queſta abitazion forman l'aſſetto.
D'argine cinta ſu pel vicin colle
Ampia vigna ſi ſtende, ove i ſuoi rami
La tortuoſa vite agli olmi eſtolle.
Ma il comun orto a ſe par che ne chiami
Per dimoſtrarci, come in queſto Mondo
Baſti poco terreno a molte fami.
O voi felici, e ſotto aſtro ſecondo
Ben nati Padri, a cui diſpenſa il Cielo,
Quanto la vita noſtra ha di giocondo.
Siccome Cervo deſioſo, e anelo
Corre veloce a riſtorarſi al fonte,
Colto nel fianco dall' acuto telo.
Così voſtre bell' Alme agili, e pronte
Tocche nel cuor da nobile deſio
Rapide vanno al ſagroſanto Monte.
Ove co' Santi a piè del Sommo Iddio
Partendo ſtanno angeliche parole,
Le coſe di quaggiù poſte in oblio.

Non le ricchezze, che nel mondo ſole
Par che abbian regno, a Voi toccano il cuore,
E non gli onori, e l'altre umane fole.
Sol di piacere ognuno al ſuo Signore,
E di ſeguir ſol pare, che ſi ſtudj
Il divino volere a tutte l'ore.
E di fregiarſi ognor delle virtudi
Piu rare il petto, e incontro all' empie, e fiere
Squadre d'Averno oprar l'aſte, e gli ſcudi.
Voi intenti al canto in due ben lunghe ſchiere
Trovan le ſtelle allor, che ſon coſparte
Per tutto il Cielo, e allor, che il ſol le fere.
Gli odj, e i rancori in voi non hanno parte,
E il cuor nella ſperanza s'aſſicura,
E il rio timor da Voi ſi fugge, e parte.
Qui fuor d'ogni tumulto una ſicura
Pace, e tranquillà ha eterna ſede, e regno;
E lungi ſtaſſi ogni nojoſa cura.
Qui ſol ſi brama, (ed è il deſir ben degno)
Che in Dio s'acqueti l'Alma, e ſi conforte,
E dell' eterna vita abbia alcun pegno.
Voi dunque, a cui toccata è sì gran ſorte
D' eſſer sì care al Sommo Padre in terra
Sante, ſaggie, leggiadre, Anime, accorte:
Seguite pur la quaſi vinta guerra
La mente acceſa, e il cor di ſanto zelo;
Che il Ciel l'auree porte vi diſſerra:
Ove ſciolte da queſto ingombro, e velo
V'andrete al crin teſſendo immortal ſerto,
Cui non fia mai, che nuocia o caldo, o gelo.

Ecco

Eccovi il varco a un tanto bene aperto;
  Rinforzate il deſio, ne il pie s' arreſte,
  Bench' aſpro il cammin ſembri alpeſtre, ed erto.
Tu Santo Abitator delle foreſte
  Dall' alto Cielo, ove or ſei cittadino,
  Scampato già di tante atre tempeſte:
Quaggiù rivolgi il tuo ſguardo divino,
  E a quei, che in queſto breve, e mortal corſo
  Seguono l' orme tue sì da vicino,
Porgi, che te ne priegano, ſoccorſo.

Digitized by Google

Difficile admodum explicatu eſt quantâ animorum contentione, quanto apparatu, quantaque virtute hunc Ludum omnium celeberrimum, quem vocant del Ponte, *Piſani gerant, ut nemo apud illos magni habeatur, niſi qui in hujuſmodi Ludo ſe ſtrenuum praſliterit. Hic itaque nemo miretur me verbis uti, quæ forte fidem excedant.*

Ad ÆGIDIUM GALLENUM.

QUæ mihi Mæonio canerentur prælia verſu;
Quantus & in noſtro nunc foret ore ſonus:
Si modo, Pierides, ſi veſtro percitus æſtro
Arcadici poſſem Mænali (a) adire nemus.
Et mihi ſeu magnus citharam donaret Apollo,
Seu Linus argutæ fila canora lyræ.
Non ego longinquas celebrarem carmine palmas,
Exteraque in capto caſtra locata ſolo.
Non ego Scipiadas canerem, forteſque Camillos,
Non Marios, Fabios, Fabricios, Curios.
Non pulſum Annibalem, impavidi non irrita Pyrri (b)
Bella,

(a) *Mons in Arcadiâ, de quo Virgilius Eglog.* 8.
Mænalus argutumque nemus, pinoſque loquentes
Semper habet: ſemper paſtorum ille audit amores.
(b) *Rex fortiſſimus Epirotarum, qui plures dedit, & accepit clades à Romanis.*

Bella, nec Antiochi (a) verſa per arma fugam:
Non ego Pharſalicos (b) Romano marte triumphos,
Magnaque in Actiaco (c) parta trophea mari.
Nec mea Thermopylas (d) chelys, aut Marathona (e) ſonaret,
Clarave Laconum ſanguine Leuctra (f) Ducum:
Eurymedonta(g), Ægos(h), Mycalen(i), Salamina(k), Plateas(l);
Quotquot & illuſtrat bellica fama loca.
Roma ſuos domito partos ex Orbe triumphos
Cantet, & invictos Græcia magna duces.

 Me

(a) *Rex Aſiæ potentiſſimus, qui fuit obſes Romæ.*
(b) *In Pharſalia Pompejus victus a Cajo Julio Cæſare.*
(c) *Bellum navale inter M. Antonium, & Octavium Auguſtum prope Actium in Epiro.*
(d) *Anguſtiæ locorum, quibus ex Theſſalia itur in Bæotiam, Illic Leonidas Lacedemonum Rex cum ſuis omnibus hoſtium numero obrutus pugnans occubuit.*
(e) *Is locus abeſt Athenis circiter millia paſſuum decem. Illic Athenienſes pauci numero, duce Miltiade, nobiliſſimam de ducentis peditum Perſarum millibus & decem equitum retulere victoriam, quæ, teſtè Plutarco, a Scriptoribus trecentis eſt deſcripta.*
(f) *Vicus inter Plateas, & Theſpias, ubi Epaminondas Thebanus inſignem à Spartanis victoriam obtinuit.*
(g) *Flumen Pamphiliæ, ubi Cimon Athenienſis Phænices, & Ciprios vicit, ut refert Thucydides.*
(h) *Flumen in Taurica Cherſoneſo, ubi Lyſander Lacedemoniu Athenienſes profligavit.*
(i) *Promontorium, ubi Xantippus, comite Leotychide Spartano, ingentem hoſtium Claſſem cepit.*
(k) *Urbs, penes quam Athenienſes maximam Xerxis claſſem vicerunt.*
(l) *Urbs in Bæotia, ubi Mardonius Satrapes regius, Darii gener cum ducentis millibus peditum, & viginti millibus equitum a Pauſania Lacedemonio victus in prælio occubuit.*

Me decet uſque tuos revocare in carmina ludos,
Quos ciet armipotens Pontis in axe Deus;
Quos tota undiſono miratur Hetruria plauſu;
Quoſque docet virtus bellica, quoſque colit
Alphea (a), innumeris veterum decorata triumphis,
Heroum tellus inclita, & alma Parens.
Heu quas ſpectaſti duras, Pons (b) inclite, pugnas;
Et quas armatas ludicra in arma manus?
Nunc equidem Romana tibi Capitolia palmam
Cedant, & Circus (c) Maximus invideat.
Quæ virtus, quæ vis animi, qui martius ardor
Invictis Boreæ (d) fulſit in agminibus?
Nunc huc, nunc illuc luctantem vidimus Hoſtem;
Ut pila per celeres proſilit icta manus.
Nunc his, nunc illis ceſſit victoria caſtris,
Et victus victo compare victor erat.
Fulmen ut obductas diſcindit in æthere nubes,
Implet & attonito territa corda metu:
Utque leo jn lybicis telo confoſſus arenis
Sævit in adverſas, bruta cruenta, feras:

Sic

(a) *Hæc urbs, quondam Reſpublica, Urbium, provinciarum, inſularum, & regnorum extitit Domina.*

(b) *Hic eſt ille Pons marmoreus, omnium celeberrimus, in media Urbe, quem ſuper Ludus omnium nobiliſſimus, cum ſexcentis & amplius pugnatoribus celebratur a Piſanis Civibus.*

(c) *Locus Romæ patens, ubi Ludi publici a Romanis fiebant.*

(d) *Arno flumine mediam interfluente urbem, pars, quæ vergit ad Meridiem, Auſter, vel Notus vocatur: Pars autem, quæ reſpicit Aquilonem, Boreas, aut Aquilo nuncupatur.*

Sic Boreas Auſtri intrepidi vireſque, animumque
  Fregit, & hoſtiles rettulit exuvias.
Non ita præcipitem ventoſa per æquora navem
  In brevia, & ſyrtes turbine frangit hyems:
Nec ſic effugiunt timidæ per inane columbæ
  Prædonem ſævis unguibus accipitrem:
Ut profligatas Auſtri cecidiſſe phalanges
  Vidimus, & juſſæ terga dediſſe fugæ.
O decus, o noſtræ celeberrima gloria famæ,
  Marte ferox, Boreæ dextera, forma Ducum.
Queis te carminibus, quo te, Dux inclite, plectro,
  Virtutemque tuam, conſiliumque canam?
Te, Gallene (a), decent laudes, plauſuſquè faventum,
  Te lauri, currus, gaudia, ſerta decent.
Te propter Boreas palmà lætatur, & Auſter
  Cogitur invito ſubdere colla jugo.
Ergo age, victor ovans, tantis lætare tropheis,
  Et cinge emeritas fronde virente comas.
Deſine plura, Chelis: ſat plauſibus inſonat Æther;
  Majoreſque cient claſſica pulſa ſonos.

(a) *Hic fuit Imperator pro parte boreali, cui ſtetit victoria.*

In Ignes fabrefactos Piſis anno 1755. ob victoriam Ludi Pontis a Caſtris Borealibus relatam.

Ad JOANNEM GALLENUM Civem Piſanum.

O Noctem, qua non uſquam ruit æthere ab alto,
Lætior, & claros inter habenda dies.
O noctem vidiſſe mihi ſuprema voluptas,
O quoties lætis illa canenda modis.
Hæc pellit tenebras, hæc vincit lumine ſolem;
Huic cedunt ſuperi ſidera celſa Poli.
Hæc fuſo illuſtres teſtatur ab hoſte triumphos,
Captivoſque canit ludicra in arma duces.
Hæc Boreæ laudes, hæc victi dedecus Auſtri
Perſonat, & forti prælia geſta manu.
Dicite io Pæan, & io bis dicite Pæan:
Pulſaque jocundis perſtrepat aura ſonis.
Vidimus innocuas hic, illic ſerpere flammas,
Vidimus errantes mille nitere faces.
Vidimus & populum Borealia caſtra ſequentem
Plaudere victori, Ponte fremente, duci.
Undique bacchantes turmatim accedere Cives
A dextrà, placidis qua fluit Arnus aquis,
Vidiſſes, geſtare manu pueroſque, ſeneſque
Ardentes faculas, flammiferoſque globos:

Præ-

Præcipiteſque altis tædas jactare feneſtris ;
  Ut ruit effusâ plurimus imber aquâ .
Illinc perculſum mæſtis in ſedibus Auſtrum
  In Boream furere , & dentibus infremere .
Audiſſes totam impleri clamoribus urbem ,
  Edere & ingentes claſſica pulſa ſonos :
Fulmineos reboare tubos , tormentaque belli ;
  Omnia , quæ magnâ voce , Triumphe , canunt .
Ah quoties mediam , qui ſenſim interfluit urbem ,
  Et vitreas placido gurgite volvit aquas ,
Arnus , cæruleum mediis caput extulit undis ,
  Miratus longæ flammea ſigna viæ .
Vidimus , & faciles hic , illic ludere Nymphas ,
  Ducere & alternos per vada pulſa choros .
Et lætos piſces ſummas innare per undas ,
  Et ſigna inſuetæ promere lætitiæ .
Hæc ſunt virtuti , ſunt hæc data præmia laudi :
  Sic tibi , ſic victor nomen in orbe paras .
Ergo tuis cum ſit par gratia nulla triumphis :
  Accipe nunc , Heros , quæ tibi muſa canit .
Sic mihi Calliope , mihi ſic prædixit Apollo :
  Dein Boreas ſemper , te duce , victor erit .

Auctoris reditus ad Patriam.

TEllini colles, notæque in collibus ædes,
  Tellina irriguis Vallis amæna jugis:
Jucundi ſalvete lares, patriique penates,
  Salvete o veterum libera regna Patrum.
En ego longinquis tandem digreſſus ab oris
  Adveni Patriam per loca ſenta meam.
Nil mihi, nil potuit noſtris obſiſtere votis:
  Non mare, non tellus, nec via longa pedem
Detinuit celerem; nec venti, imbreſque, niveſque
  Ad Patriam reditus impediere meos.
Ergo me curis fractum, feſſumque labore
  Excipite in veſtro, ſi licet uſque, ſinu.
Vos me, vos puerum primis vidiſtis ab annis
  Ludere, & alternos ferre, referre jocos:
Implere & totam teneris vagitibus ædem,
  Et lac maternis ſugere ab uberibus.
Ah quoties patrias Etruſco ex litore ſedes
  Optavi, & dulces exterà ab urbe lares.
Ah quoties dolui caros liquiſſe Parentes,
  Exul & à patrià ſæpè fuiſſe meà.
Hos etiam inſomnis viſus ſum ſcandere colles,
  Et Tylii apricas ire, redire vias.
Scilicet hic geniti vitales hauſimus auras,
  Crevimus hic, culto viris ut apta jugo.
Hic etiam primas didiciſſe libentius artes
  Profuit, & mores excoluiſſe rudes.

Fra-

Frater, io, gaude, cari gaudete Parentes,
Quos mihi longævos ſervat in æde Deus.
En ego quem toties lacrymis fleviſtis obortis,
Nunc lætus veſtro perfruor alloquio.
En ego, quem triſtes dudum quæſiſtis ademptum,
Optatam nono vere reviſo domum.
Quem veſtrum decus, & veſtræ quem forte ſenectæ
Speraſtis columen, præſidiumque domi;
Vidit in Etruſcis ſtudioſa Alphea paleſtris,
Doctoremque habuit lecta juventa ſuum.
O dulcis ſedes, pulchris mihi pulchrior aſtris!
O Patria, adventu facta beata meo!
Non magna adverſo tibi ſurgunt mœnia vallo,
Nec firmant fines agmina certa tuos.
Feciſti tamen hanc proprio de nomine Vallem:
Hæc tibi prima fuit gloria, primus honos.
Non ita poſt diras lætatur nauta procellas,
Soſpes cum portum ſoſpite nave ſubit.
Nec ſic poſt longi gaudet certamina belli,
Cum palmam victo miles ab hoſte refert:
Quanta ego in adventu collegi gaudia noſtro;
Et quantus fuerit plauſus ad aſtra virum.
Non me tot caſus, nec tot ſubiiſſe labores
Tædet, & incertæ tædia longa viæ.
Nam mihi fas tandem te læto viſere vultu,
Patria, & hoc cœlo liberiore frui.
Hic licet ingratas animo depellere curas;
Et mœſta aſſiduo ſolvere corda metu:
Hic puri inſueto mihi fulgent lumine ſoles,
Hic mihi priſca quies regnat, & alma fides.

Dulce

Dulce Viatori varias percurrere terras:
  Dulcius at Patriam degere poſſe ſuam.
Ergo omnes reduci certatim plaudite civi;
  Dicite jucundo dulcia verba ſono.
Veniſti tandem dulciſſima cura Parentum:
  Veniſti ad caros, ſoſpes ut ante, lares.
Ecce mihi reditum læti gratantur amici:
  Quiſque dat amplexus; oſcula quiſque legit.
Nunc datur & notas audire, & reddere voces;
  Mutuæ & officiis perfrui amicitiæ.
Nunc me felicem, nunc me licet eſſe beatum,
  Debitaque Indigeti ſolvere vota Deo:
Solvere vota Deo, Tuſcis qui dexter ab oris
  Accerſens patrio me dedit eſſe ſolo.
Cœlum cœlitibus, ſint magnæ regibus urbes,
  Aulaque principibus magna ſit uſque viris.
Sat mihi Tellini Colles, Tellinaque Vallis:
  Nam patria eſt Civi quidquid ubique boni eſt.

Ad Patrem VINCENTIUM A LIBURNO Capucinum Liburni Quadrageſimales Conciones habentem anno 1758.

NOn ita cœruleum violento gurgite flumen
  Labitur, & tumidas in mare volvit aquas.
Non ita ſublimes e vertice concutit arces
  Fulmen, & auguſtas diruit igne domos:
Ut tua divinis pollens facundia verbis
  Effluit, & ſuperi tendit ad aſtra Poli;
Ut tua, Vincenti, in ſacro vox edita templo
  Concutit & ſontes, duraque corda terit.
Cum noſtras fandi tua copia perculit aures,
  Pulpitaque eloquio perſonuere tuo:
Illico ſum viſus Ciceronem audire tonantem,
  Quin Pauli magnos percipere aure ſonos.
Nos triſtes gemitus, & longos edere fletus
  Cogis, & admiſſi pænituiſſe mali.
Cogis & aſſiduis Cœlum contendere votis,
  Et purà æternum quærere mente Deum:
Virtutem amplecti, vetitis abſiſtere noxis,
  Et nullà inſontes ducere labe dies:
Noſque doces meritis ulciſci crimina pænis,
  Crimina tartareis debita ſuppliciis.
Frigida divinis ſuccendis pectora flammis,
  Et ſumma ad Cœli gaudia corda trahis.
Quot culpæ infanda ſolviſti compede vinctos?
  Quotque tulit miſeris vox tua dulcis opem?

Te

Te propter clauſi patuerunt oſtia Cœli,
  Vincenti, & clauſas ſenſit Avernus aquas.
Quis non ingenium, quis non mirabitur artem!
  Aut quis virtutem non colet uſque tuam!
Voce tonas, fleƈtis precibus, monitiſque, miniſque
  Terres, arte vales, geſtibus, ore, modis.
Nemo tuis unquam potis eſt obſiſtere verbis;
  Nemo tuo durus perſtitit eloquio.
Ah quoties, veluti in libicis Leo ſaucius oris,
  Rex Erebi, infrendens dentibus, ingemuit.
Ingemuit, vanaſque ferox exarſit in iras,
  Tot ſpolia infelix dum ſibi rapta videt.
O magnum Heroem, nulli virtute ſecundum;
  O Hominem nobis dextero ab Axe datum!
Quas tibi ſolvemus tanto pro munere grates?
  Quaſque tibi laudes carmina noſtra canent?
Quamquam non opis eſt noſtræ! Tibi in Ætheris arce
  Donet munificus præmia digna Deus.

Daſnis, & Corydon Paſtores de Chriſti Nativitate.

Daſ. VEniſti tandem Corydon dulciſſime, tandem
Te licet ampleƈti: Quæ te tenuere morantem?
Cernere te, dulces audire, & reddere voces
Jampridem ardebam, ſenſim tibi prodere dulces
Delitias, lætæque ingentia gaudia mentis;
Quæque Deus noſtris dederit miracula terris.
Vidiſtin ſuperum gemmis, auroque nitentem
Aligerum inter noƈturnas fulgere tenebras?
Vidiſtin ſuperos juvenes per inania Cœli
Argutos tentare modos, & plaudere cantu?
Dic mihi, dic Corydon: quoniam te nil latet unquam.
Cor. Vix ego (crede mihi) poſſum tibi dicere, Daſni,
Præ lacrymis, quæ his vidi oculis, hiſque auribus hauſi.
Vidi ego (vera loquor), baculo dum nixus acerno
Cum ſociis ſecluſa gregem per ſepta latentem
Speƈtabam, medium Phæbe confecerat orbem:
Extemplo ætherea circum magalia luce
Fulgere, allatrare canes, balare bidentes,
Nos omnes trepidare metu, magnamque per auras
Audiri vocem; Quid nunc, quid vana timetis
Paſtores, oviumque duces, nemorumque coloni!
Solvite corda metu, vobis nova gaudia porto.
Quem veſtri cupiere Patres, cecinere Prophetæ
Venturum, ſedeſque novas, nova regna daturum,
Eſt hodie vobis natus Davidis in urbe
Chriſtus ab intaƈtà, vicino in colle, Puella,

Hic

Hic mortale genus crudeli e compede noxæ
Eximet, obſtructaſque fores reſerabit Olympi.
Ite ergo, ite citi, ſilveſtres linquite ſedes,
Præcipitate moras: Vobis reperire Puellum
Fas erit implicitum pannis, ſtabuloque jacentem.
Talia dum taciti, attonitique per antra ruentes
Accipimus, gemmis, auroque, oſtroque decorum
Aſpicimus juvenem motas vaneſcere in auras.

Daſ. Quid tu quæſo? Quæ vobis ſententia ceſſit?
Quod tenuiſtis iter? Parvone adiiſtis in antro
Infantem tenui palea, fænoque cubantem? (rem

Cor. Tum nos ſpemque, metumque inter, magnumque ſtupo-
Hæſimus in vario ſermone, ea dicta moventes
Corde ſub ancipiti: demum mox munere plenos
Quiſque ferens calathos, & odoro flore corollas
Nectens purpureas per opacæ devia ſylvæ
Fertur adoratum dein curſu præpete Natum.
Ut tandem cuncti ad Bethleum venimus antrum,
Vidimus (heu pietas!) hærentem in limine Sponſum,
Vidimus & Matrem, poſitumque in ſtramine Natum
Exiguum ad Præſepe bovem inter, & inter aſellum.
Protinus afflatos divini luminis hauſtu
Nos omnes tanto ſacrata per antra ruentes
Vidiſſes, tacitis Infantem flectere votis,
Infantem, quo nec melior, nec pulchrior alter
Hactenus eſt viſus, nobiſve videbitur unquam.

Daſ. Dic o, dic, Corydon, lætam quæ gaudia mentem,
Quæque tua ingens exhilararit corda voluptas?

Cor. Eſto mihi tellus teſtis, voſque ardua Cœli
Sidera, tam bellum bellà cum Matre Puellum

Nun-

Digitized by Google

Nunquam liquiſſem , nunquam ad mea tecta rediſſem ?
Ni timuiſſem agnas, nullo duce , linquere in arvo.
Ergo omnes poſtquam largiti plurima nato
Munera, ducentes choreas, fidibuſque ſonantes ,
Ad nota invitos revocamus ovilia greſſus.
Illic Alligeros ſtellata per æquora Cives
Audiſſes dulci modulari carmina plectro ,
Et luce inſuetà medium diſcedere Cœlum .

Daf. Ergo dum vacat, atque ſimul convenimus ambo ;
Incipe tu Puerum celebrare, ego plaudere Matri .

Cor. Nil mihi dulce ſonat, quam ſacras diſcere laudes,
Et tam formoſum revocare in carmine Natum .
Ut nitet eois cum ſe ſol tollit ab undis ,
Spargit & adverſos aurato lumine montes :
Sic os purpureum tibi fulget, ſic tibi odoris
Æmula labra roſis, ſic lumina fronte renident.
Dicite Cœleſtem mea Carmina dicite Natum .

Daf. Obſcuras ut mane fugans oriente tenebras,
Puniceis invecta rotis aurora rubeſcit :
Sic tibi ſunt flavi roſea cervice capilli,
Purpureæque genæ , fuſuſque in pectore candor .
Incipe maternas mecum mea tibia laudes.

Cor. Inter ut horrentes aſſurgunt lilia dumos;
Ut malus (a) præſtat nemorum inter ligna virentum,
Utque coruſca inter ſplendet Sol aureus aſtra :
Sic tu, ſic pulchros inter pulcherrime Natos.
Dicite Cœleſtem mea Carmina dicite Natum .

(a) *Cantica cap.* 11.

Daſ. Ut roſa (a) in apricis halat rubicunda viretis,
Cedrus ut in Libano, in Cades ut palma vireſcit;
Ut platanus prope aquam, in campis ut oliva ferendis
Tollitur, atque Sion nemoroſo in monte Cupreſſus:
Sic tu formoſas inter formoſa puellas.
Incipe maternas mecum mea tibia laudes.

Cor. Jam triſtes ceſſere metus, ceſſere pericla,
Te nato, & noſtris ceſſit dolor omnis ab oris.
Longaque ceſſerunt veterum ſuſpiria Patrum.
Dicite Cœleſtem mea Carmina dicite Natum.

Daſ. Jam fauſto gravidæ manarunt Æthere nubes;
Te natum enixæ, veteres abiere querelæ;
Aureaque everſo redierunt ſæcula Mundo.
Prava viis ſuberunt directis, aſpera planis:
Aſſurgent valles, ſubſident undique montes (b)
Incipe maternas mecum mea tibia laudes.

Cor. Fortunate Puer: tellus tibi plaudit, & Æther,
Tellus innumeros effundens undique flores,
Æther jucundos edens è vertice cantus.
Dicite Cœleſtem mea Carmina dicite Natum.

Daſ. Fortunata Parens: Infantem ad pectora preſſum
Stringis, & optato jungis blanda oſcula luſu,
Brutaque ad exiguas cernis procumbere Cunas.
Incipe maternas mecum mea tibia laudes.

Cor. Fortunate Puer: Cœlo donate benigno
Te propter lætis rident nova pabula campis;
Mollia vicinas pingunt Vaccinia ripas;

Dul-

(a) *Eccleſiaſticus cap.* XXIV.

(b) *Iſaias cap.* XL.

Dulce ſonant volucres, & ſudant roſcida ſylvæ
Mella, virent nemori frondes, & gramina pratis.
Dicite Cœleſtem mea Carmina dicite Natum.

Daf. Fortunata Parens: tecum ſolatia ruris,
Tecum venit amor, venere & gaudia noſtra:
Te propter pax e ſummo deſcendit Olympo,
Lætaque tranquillæ largitur tempora Vitæ,
Et decor, & virtus toto dominabitur Orbe.
Incipe maternas mecum mea tibia laudes.

Cor. Non ego nocturnas vicina è Valle rapinas,
Te nato, metuam; quoniam miſcebitur hædis (a)
Pardus, cum timidis accumbere geſtiet agnis
In ſylvis lupus, & vituli jungentur, & urſi;
Manſuetoſque puer per rura frequentia ducet,
Et leo ſilveſtres, ut bos, paſcetur avenas.
Sic mihi ſemper erunt pecudes, ſic copia lactis.
Dicite Cœleſtem mea Carmina dicite Natum.

Daf. Non ego, quæ cultis commiſi ſemina ſulcis,
Præſide te, metuam direpta volucribus; arva
Namque mihi gravidis flaveſcent ſemper ariſtis.
Amplaque maturæ complebunt horrea meſſes;
Vinea florebit, teneras e vitibus uvas
Colligam, & optatis ſpumabunt præla racemis.
Incipe maternas mecum mea tibia laudes.

Cor. Vidiſti, primas dum pellit lucifer umbras,
Humida odoratis ſtillare roſaria guttis,
Atque madere novo candentia lilia rore?
Hæc facies, hæc eſt Pueri lugentis imago.

 Dici-

(a) *Iſaias cap.* XI.

Dicite Cœleſtem mea Carmina dicite Natum.
Daf. Vidiſti, pictos Iris dum circinat arcus,
Mille trahens varios adverſo ſole colores,
Cœlum disjecta portendere nube ſerenum?
Hæc facies, hæc eſt Matris ridentis imago.
Incipe maternas mecum mea tibia laudes.
Cor. Ergo dum montes abies, dum populus undas,
Fraxinus & ſylvas, atque hortos malus amabit:
Semper magne Puer noſtro cantabere verſu.
Daf. Ergo dum virides paſcentur tarda per agros
Armenta, atque cadent annosà ex ilice glandes:
Semper magna Parens noſtris celebrabere avenis.

Licidas, & Corydon Paſtores ad Jordanem, proximum S. Raynerii diſceſſum ſub Amyntæ Paſtoris nomine lamentantur.

Lic. QUo pergis Corydon? quo te nova cura repellit?
Siſte gradum, nec te aſpectu modo ſubtrahe noſtro.
Nam reor in tuto decerpere pabula campo
Lanigeras late pecudes, hirtaſque capellas.
Cor. Ille decus nemorum, culti ſolatia ruris,
Gloria paſtorum, pecudumque magiſter Amyntas,
Qui viſum loca grata Deo, loca cognita Cœlo,
Venerat ad noſtras Tyrreno e littore ſedes,
Dicitur Alpheas quamprimum abiturus ad oras,
Noſque relicturus, Licida, noſtroſque penates.
Hæc me cura premit, dolor hic me perditus angit.
Lic. Hei mihi, quæ narras, Corydon, quæ triſtia perfers?
Ergo

Ergo Paleſtinæ Colles, nemorumque receſſus,
Irriguas Valles, dulceſque in Vallibus umbras
Deſeret, & nunquam nos poſthac viſet Amyntas,
Quo non candidior, quo non jucundior alter?

Cor. Sic Cœlo libet, o Licida, ſic Numina poſcunt.
At ſaltem gravibus mærentia pectora curis
Solvamus; longum cithara lenire dolorem
Proderit, & carum geminare in carmina Amyntam;
Dum molles afflant zefiri, dum pabula tondent
Nota greges, placidis Jordanes volvitur undis.

Lic. Si ſic aſtra volunt; ſi fert ita corde voluntas:
Carmina non renuo: mærentes carmina mulcent.
Sed tu, quandoquidem invitas, prior incipe cantum:
Incipe, & alterno celebremus carmine Amyntam.

Cor. Nazzarei (a) Colles, gratique in Vallibus Horti
Gethſemani, parvæque ſuperba mapalia Bethleem,
Semper & auguſti monumenta verenda Sepulchri
Dicite, quæ veſtris in ſedibus egit Amyntas.
Plaudite Tyrreno mea carmina plaudite Amyntæ.

Lic. Thaborris (b) juga celſa, & ſacri culmina Pharan,
Golgotha, Olivetum, Libanus, deſertaque Saron,
Semper & invictæ ſublimia templa Sionis
Dicite, quanta tulit, quæ carus fecit Amyntas.
Siſtite migrantem mea vota hic ſiſtite Amyntam.

Cor. Ah quoties tacitæ per amica ſilentia lunæ
Illum pervigiles ſub aperto ſidere noctes
Ducere, & ingratis ſibi dudum terga flagellis

(a) *Loca, quæ S. Rayn. frequentavit.*
(b) *Loca item ab eo culta.*

Cedere vidiſtis, multoque madere cruore,
Plaudite Tyrreno mea carmina plaudite Amyntæ.
Lic. Ah quoties paſſum ventos, imbreſque, niveſque,
Illum ſublimi tenues ſe ferre per auras
Corpore vidiſtis; Cæloque, Deoque fruentem
Eloquia inſomni cœleſtia volvere mente.
Siſtite migrantem mea vota hic ſiſtite Amyntam.
Cor. Te non hybernæ terrebant aſpera noctis
Frigora, non toto labentes æthere Nimbi;
Neç te lædebant per devia luſtra vagantes
Fures, in tacitis aut monſtra (a) furentia ſylvis.
Plaudite Tyrreno mea carmina plaudite Amyntæ.
Lic. Te non, te multos jejunia ducta per annos
Frangebant, miſeræ nec dura incommoda vitæ,
Nec triſtes curæ, nec paſſi in monte (b) labores.
Siſtite migrantem mea vota hic ſiſtite Amyntam.
Cor. Te propter, medium late diſcedere Cœlum
Vidimus, & Sacri fulgentia culmina Thabor (c)
Ardere, inque cavis crepitare tonitrua nimbis.
Plaudite Tyrreno mea carmina plaudite Amyntæ.
Lic. Te propter, dulci manantia flumina lacte
Vidimus, ambroſio labentes nectare fontes,
Et ſæpe hibleo ſudantes melle geniſtas.
Siſtite migrantem mea vota hic ſiſtite Amyntam.
Cor. Ah quoties ſcelerum vindex Deus Æthere ab alto,
Te

(a) *Bruta ſæviſſima Eum obvium verebantur.*
(b) *Thabor, ubi pœnitens vixit.*
(c) *Illic Chriſti transfiguratione fruitus eſt, ut refert Scriptor in ejus vita.*

Te propter, nullas inimico e ſanguine pœnas (a)
Exegit, jaculantem exarmans fulmine dextram,
Atque laceſſitam noxis compeſcuit iram.
Plaudite Tyrreno mea carmina plaudite Amyntæ.

Lic. Te propter, nulla anguſtæ diſcrimina vitæ
Pertulimus, mœſtas tranquilla per otia curas
Solvimus: & noſtras viſens pax aurea ſedes
Nobis fudit opes optatas divite cornu.
Siſtite migrantem mea vota, hic ſiſtite Amyntam.

Cor. Te ſocio, calathi ſubitam mihi ſæpe ferebant
Oblati cererem (b); dulci mulctralia lacte,
Et liba anguſtas onerabant candida menſas.
Plaudite Tyrreno mea carmina plaudite Amyntæ.

Lic. Te ſocio, fœtæ referebant plena Capellæ
Ubera, promiſſo ſibi vellere terga gerebant
Balantes, multoſque dedit pecus omne gemellos.
Siſtite migrantem mea vota hic ſiſtite Amyntam.

Cor. Ut fulget, gelidas dum pellit Lucifer umbras
Prævius, & late formoſa intermicat aſtra:
Fulgida ſic facies (c), ſic ora nitentia Amyntæ.
Plaudite Tyrreno mea carmina plaudite Amyntæ.

Lic. Igne quod admoto ſthorax, inciſaque Myrra.
Galbana quod redolent, quod mixto cinnama amomo,
Quod caſia, & flores: hoc gratus (d) olebat Amyntas.
Siſtite migrantem mea vota hic ſiſtite Amyntam.

(a) *Ejus precibus pepercit Deus Hieroſolymæ, quam perdere volebat.*
(b) *Uno tantum pane plures pauperes ſatiavit.*
(c) *Sæpe cæleſti luce fulgebat.*
(d) *Interdum ſuaviſſimum fundebat odorem.*

Cor. Ergo dum nemori frondes, dum gramina pratis
Ver dabit, & patrias Jordanes alluet oras:
Te juga Judeæ reſonabunt; te juga Bethleem,
Noſtraque cantabunt laudes tibi rura perennes.
Plaudite Tyrreno mea carmina plaudite Amyntæ.
Lic. Ergo dum plenis flaveſcent frugibus arva,
Arva laceítoſis paſſim ſubigenda colonis:
Per nemora, & Sylvas inciſum cortice levi
Uſque tuum millenà vivet in arbore nomen.
Siſtite migrantem mea vota hic ſiſtite Amyntam.

Micon, & Palemon piſcatores ad Arnum S. Raynerii mortem deflent.

M. QUid novi in urbe fuit? tantæ, quæ cauſa, Palemon,
Lætitiæ, fremituſque virum, plauſuſque fonantum?
Vix ego, crede mihi, incautos in retia piſces
Impuleram, & plenis Arni nota oſtia velis
Intrabam: mihi cum ſubitus ſonus impulit aures.
Cunctaque multiplici ſonuerunt æra (a) fragore.
Num bonus ad noſtram pervenit nuntius urbem,
Pulſos Alpheis hoſtes cecidiſſe ſub armis?
An Piſana procul devicto Claſſis Eoo
Advenit referens palmas, claroſque triumphos?
Dic mihi, quandoquidem juvat hic te audire loquentem.
P. Neſcis, Alphea quid nuper contigit urbe,

Care

(a) *Mortem S. Raynerii omnia Æra è turribus ſponte nuntiarunt.*

Care Micon? Quæ nos maneant incommoda? Neſcis
Raynerium, columen rerum, Patriæque Parentem,
Raynerium ut noſtris mors abſtulit invida terris:
Abſtulit, & raptum mox Cœlo immiſit aperto:
Cuncta ſuum ſacris e turribus æra dolorem
Teſtata, inſueto complerunt Æthera plauſu.

M. Ergo ne Raynerius patriis modo ceſſit ab oris?
Ceſſit, & Æthercam Victor conſcendit ad aulam?
Hei mihi, quis tanto tribuet ſupereſſe dolori!

P. Non ego te poſthac volucri projectus in alno,
Aſpiciam trepidos in retia cogere piſces;
Et pelagi ſubitas nutu prohibere procellas.
Duc, Arne, adverſos, duc o ſine murmure fluctus.

M. Non ego te poſthac ſublimi in margine ripæ
Excipiam triſtes animo depellere curas,
Et ſenſim æquoreos dictis lenire labores.
Contrahe mærentes, Arne, antro contrahe lymphas.

P. Non ego te poſthac ventos in vela ruentes
Aſpiciam cohibere, graves compeſcere nimbos,
Et dura anguſtæ ſolari incommoda vitæ.
Duc, Arne, adverſos, duc o ſine murmure fluctus.

M. Non ego te poſthac obſcuro nubila Cœlo
Pellere mirabor, parvoque innare phaſelo,
Et ſcopulos vitare cavos, ſirteſque latentes.
Contrahe mærentes, Arne, antro contrahe lymphas.

P. Non mihi, te rapto, lenes per ſaxa ſuſurri
Herbarum in gremio ſuadebunt carpere ſomnos:
Fas erit aut placido committere retia ponto,
Aut captare vagos ſinuoſo in gurgite piſces.
Duc, Arne, adverſos, duc o ſine murmure fluctus.

M. Te ſine nulla mihi rident loca, diſplicet Arnus,
Et mare; fallaces odi cum retibus hamos.
Jam mea ſollicitis tabeſcunt pectora curis.
At ſi Raynerius patriis inſiſteret oris:
Omnia læta forent læto mihi, cuncta placerent.
Contrahe mærentes, Arne, antro contrahe lymphas.
P. Aſpice, cuncta dolent: unus dolor occupat omnes:
En mæſta eſt facies Cœli, mæſta undique tellus:
Nil mihi dulce ſonat, me nulla & gaudia fallunt.
Duc Arne adverſos, duc o ſine murmure fluctus.
M. Hei mihi, quæ patrias vexat ſors improba ſedes,
Quantus & Alphææ, ſine te, metus ingruit urbi;
Nil niſi me lacrymæ, nil me niſi luctus habebit.
Contrahe mærentes, Arne, antro contrahe lymphas.
P. Nereides meæ cura, & magni Numina Ponti,
Ferte mihi auxilium, triſtes avertite Caſus,
Afflictoque graves animo depellite curas.
Duc Arne adverſos, duc o ſine murmure fluctus.
M. Najades in Tuſco, quæ circum luditis, Arno,
Najades, emerito colui quas ſemper honore,
Quærite, ſollicito quæ ſit medicina dolori.
Contrahe mærentes, Arne, antro contrahe lymphas.
P. Ergo Rayneri, fluvios dum piſcis amabit,
Dumque ſuas feret Arnus aquas; tu numen aquarum
Semper eris; ſemper certum piſcantibus omen.
Duc, Arne, adverſos, duc o ſine murmure fluctus.
M. Ergo Rayneri, profugas dum cærula naves
Magna ferent, ſterileſque leget dum littus arenas,
Semper honore meo, ſemper celebrabere cantu.
Contrahe mærentes, Arne, antro contrahe lymphas.

Angeli

Angeli natum Dominum in antro Bethleem conveniunt.

VIx in bethlemico Puerpera antro
Cœleſtem ediderat Maria Natum;
Greſſu cum celeri aerem ſecantes
Cœtus Angelici tulere ſe ſe
Illuc, hoſque ſonos dedere dulces:
Salve, Pupule, pupulorum ocelle;
Expectate diu, diu cupite;
Ades belle Puer, Puer venuſte.
Quid genas lacrymæ rigant obortæ?
Vagituque ſonat domus tenello?
Lætos nonne vides choros canentum
Laudes Spirituum tuas, & Aulam
Cœleſtem nova gaudia explicantem?
Gloriaque Deum, bonoſque pace
Donari, aurea ſæcla jam redire?
Quam primum faciles choros videbis
Paſtorum ad lacrymas tuas ruentum;
Natalemque tuum ſimul canentum.
Cernes de patrio ſolo profectos
Reges, ſponte tuas adire cunas,
Sub ſtella duce, ſacrum & oſculari
Pedem, & plura tibi exhibere dona;
Dona, quæ te Hominem, Deum, atque Regem
Prodant. O tibi nuntii beati!
Quid te dulcius eſt, beatiuſve!
Dormi belle Puer, Puer venuſte.

Fors erit, tibi cum licebit omnes
Sub dio vigiles tuliſſe noctes;
Aut duro acta ſolo levaſſe membra.
Quid luges Puer? omnium per ora
Tuum nomen ubique perſonabit:
Et qua ſol radios ſuos recludit;
Et qua præcipites tegit quadrigas.
Ergo, Care Puer, quieſce, dormi:
Ad ſinum teneræ advola Parentis,
Qua nil purius eſt, amantiuſve.

Ad MARIAM VIRGINEM in Cœlum aſſumptam.

QUo nunc progrederis nitente curru
Invecta, exuviis triumphi onuſta.
Victrix, has humiles peroſa terras,
Bella, amabilis, elegans, venuſta,
Noſtri, Virgo, ſalus, honor, decuſque?
Quo tanto raperis, Parens, triumpho,
Luna pulchrior, & rubente ſole?
Tecum delicias ferens, amores,
Tecum gaudia cuncta, gratiaſque?
O felix nimis, o nimis beata
Quà nil ſanctius eſt, venuſtiuſque,
Cui tellus, Superi, Deuſque plaudunt!
Ergo regna petens ſuperna Cœli
Heu noſtris procul avolas ab oris,
Noſque inter dubios metus relinquis?

Noſtri nec miſeret ? Tuam ergo dextram
Da Virgo miſeris; viamque Cœli
Nobis innue : te ſequemur ultro .
O quam major erit tuus triumphus,
Si te , magna Parens, ſequamur omnes.

Ad Eamdem.

AUræ , quæ nimios levatis æſtus,
Auræ, quæ vacuas per alta agrorum
Ariſtas levibus movetis alis;
Et blando ſtrepitis ſono per antra:
Greſſu tendite perveniſſiori
Huc, & turgidulas ciete pennas,
Et noſtris faciles favete votis:
En ut terra modis ſtrepit canoris,
Cœlum luce rubet micantiori;
Quiſquis clamat io, io triumphe.
Flavas nexa comas, (viden'?) coronâ
Aureâ, ut Virgo nitens & oſtro, & auro,
Stipata Angelicis ovans miniſtris,
Geſtit ſidereas adire ſedes ?
Quam circum Charites volare gaudent,
Amor, deliciæ, decus, venuſtas.
Vos, quæſo, facilem parate callem
Mariæ, rapidaſque temperate
Molli flamine ſiderum quadrigas:
Voſque illam levibus ſubite pennis.
O pondus leve, munus ô ſuave.

Ad

Ad Patrem JULIUM GRANDI *Cremonenſem C. R. S. P. Piſis Quadrageſimales Conciones habentem anno* 1758.

NOcturnæ ut fugiunt eoo ab orbe
Umbræ, ſole novam ferente lucem:
Sic te, Jule, ſacris tonante verbis
Culparum fera monſtra demigrarunt;
Victum Rex Erebi fatetur armis
Se nunc eſſe tuis; inutileſque
Fraudes, inſidias, dolos fuiſſe.
Alphea eloquio tuo inſtituta
Applaudens tibi gratulatur uni.
Jam grates meritas ſtudent referre,
Debere & tibi plurimum fatentur
Quotquot ſe gravibus vident ſolutos
Noxæ compedibus, Deoque caros:
Quotquot labe carent, nefas peroſi,
Jam totis properant ad aſtra votis.
Pro cive incolumi acribus Quirites
Quernam militibus dabant coronam:
Quam pro tot meritis, laboribuſque,
Jule, nunc dabimus tibi coronam?
Te onuſtum ſpoliis ab hoſte raptis
Inter Cœlicolas Deus locabit.
O felix nimis, o nimis beate
Jule, cui homines, Deuſque plaudunt.

JESUS Infans hominem è Præſepio alloquitur.

INſpice, divinas audes qui frangere leges,
  Inſpice, quam crimen ſit grave, quantus amor.
Hæc duo me cogunt mortalem ſumere formam:
  Crimen, ne pereas; ut redimaris, amor.
Improbe, & infidis pelagi crudelior undis;
  Ni crimen fugias, ni tibi regnet amor.

Cum S. Raynerius triduo omni cibo abſtinens, ſuaque peccata uſque deflens, oculorum aciem amiſerit, Deum precatur ſuorum parentum hortatu, ut ſibi lumen reddat, & voti ſit compos.

SI mihi patratas donans, Pater optime, noxas,
  Audiſti longas arduo ab axe preces.
Captis nocturnas oculis expelle tenebras,
  Dulcem luminibus reſtituens aciem.
Annue, flebilium precor o miſerere parentum,
  Si te, ſi tangunt vota hominum, & lacrymæ.
Dixerat: in ſubitas caligo evanuit auras;
  Et redeunt mæſtis lumina prima genis.

S. Raynerius pro Chriſti amore ſe rebus omnibus abdicat.

AUratas, Pactole, tuas legat alter arenas,
Alter Eritreas quærat avarus opes.
Advena longinquos migrans mercator ad Indos,
Compleat ingentem divite merce ratem.
Paupertas mihi ſola placet, me ſola manebit;
Hæc mihi principium eſt, hæc mihi finis erit.
Stat mihi cœleſtes tantummodo quærere gazas,
Stat nudam Chriſti pone ſubire Crucem.
Hæc Ille: ex humeris tyrios rejecit amictus,
Pauperibuſque omnes largus opes tribuit.

B. Alexander Saulius Barbarorum Claſſem precibus diſiicit.

SOlverat e Libycà prædonum claſſis arenà
Vaſtatum multas cæde furente plagas:
Corſas præcipiti curſu properabat ad oras,
Supremum minitans omnibus exitium.
Tum triſtes animos dictis ſolatus amicis
Saulius, ardentes fudit ad aſtra preces.
Protinus adverſo bacchantes turbine venti
Prædonum claſſem per freta cæca ferunt.

B. Alexander Saulius Romà in Corſicam navigans procellam exortam ſedat.

PRoximam Alexander Roma adventabat ad Ilvam (a),
Nave per æquoreas præpete vectus aquas.
Cum ſubito incubuit tempeſtas aſpera ponto,
Præſentem intentans omnibus interitum.
Aſt oculos, ſupplexque manus ad ſidera tollens,
Signavit motas ter Cruce Præſul aquas.
Nec mora: compoſitis ſubſidunt æquora ventis,
Victaque pacato ſternitur unda ſalo.
Soſpes Baſtitæ (b) plenis ſubit oſtia velis,
Solaturque ſuum Corſa per arva gregem.

B. Ale-

(a) *Inſula maris Tyrrheni inter Corſicam, & Etruriam: de quà* Virg. Eneid. lib. 10. *aſt Ilva trecentos Inſula inexhauſtis Calybum generoſa metallis.*

(b) *Caſtellum, & Portus Corſicæ.*

B. Alexander Saulius grandinem agros vaſtantem ſigno Crucis avertit.

GRando racemiferas dum verberat horrida vites;
Et queritur fœtus vinea tacta ſuos.
Dum fata diſpereunt vaſtatis aurea campis,
Lætaque ſollicitis ſpes cadit agricolis.
Vix Cruce præcipites ſignavit Saulius imbres;
Et rediit pulsà nube ſerena dies.

B. Alexander Saulius in ſumma agrorum ſiccitate oportunum imbrem publicà indictâ ſupplicatione obtinet.

NUbibus ejectis fervens exarſerat Æther,
Aridaque inſenſo ſidere hiabat humus.
Arboribus frondes deerant, & gramina pratis,
Triſtis & arebat ſicca per arva ſeges:
Cum nudus plantas, & vinctus colla catenis
Templa precaturus Saulius ingreditur.
Protinus optati labuntur ab Æthere nimbi;
Multus & arentes irrigat imber agros.

Dum

Dum S. Raynerio ſuprema perſolvuntur, Angelici cantus exauditi.

TRiſtia flebilibus quid funera ducitis hymnis?
  Non eſt hæc mæſtis umbra pianda modis.
Nec lacrymas, tanto aut ſuſpiria ferte ſepulchro:
  Rayneri manes lacryma nulla decet.
En ut ſidereæ, Cœlo plaudente, cohortes
  Edunt feſtivos templa per alta ſonos.
Qui Cœlum petiit, qui dirum fugit Avernum,
  Tollendus lætis eſt ſuper aſtra modis.

Ad S. EUPHEMIAM V., & M. Hymnus.

QUis non nobilibus plaudere geſtiet
  Palmis Euphemiæ ſanguine fulgidis?
Aut quis non celebri laude Viraginis
    Virtutem efferet inclytam?
  Mundus delicias, gaudia, nuptias,
Olli, & divitias ſpondeat aureas:
Cunctis illecebris cedere neſcia
    Cœleſtem Patriam aucupat.
  Atrox ſævities perfurat, impios
Intentet gladios, verbera, carceres,
Serras, bruta, rogos, vincula, equuleos,
    Pœnarum genera omnia.

Suc.

Digitized by Google

Succenſa æthereis Euphemia aſt ſinum
Flammis, carnifices deſpiciens feros,
Et ſævi rabiem Præſidis impotem,
Præclaram ſubiit necem.

O Virgo celebris, Martyr & inclyta,
Quæ tot ſupplicii, totque laboribus
Agni promerita es ducere nuptias,
Adjungi & Superum Choris.

Ergo noſtra ſalus, præſidium, & decus.
Dextram ſupplicibus rite precantibus
Tende, & vota libens excipe, dum tua
Læti numina poſcimus.

Te nunc Summa Trias, quæ regis omnia
Nutu, te petimus ſollicita prece,
Ut nobis tribuas Euphemiæ inclytis
Cœlo pro meritis frui.

Ad Eamdem.
Hymnus.

VIrgines caſtæ, pueri innocentes,
Nulla quos labes vitiat pudicos,
Nobiles palmas date, & auſpicatas
Ferte coronas.
Ferte: nam magnos canimus triumphos,
Atque ſolventes meritos honores
Ritè, feſtivo modulamur almas
Carmine laudes.
Virginem quiſquis celebret, noviſque
Martyrem votis ſuperans ovantem,
Undique intactis decoret ſacratam
Floribus aram.
O tuæ ſplendor Patriæ (a), decuſque,
Thraciæ laus, Euphemia, abdicatæ,
Noſtra nunc Virtus, animum Virago
Nacta potentem;
Flore quæ pollens niveo pudoris,
Paſſa pænarum genus omne, Sponſi
Pro fide, effuſo merita es decoram
Sanguine palmam.
Nunc Choros inter Superum micantes
Nuptiis Agni frueris beatis,
Fulgido & crines redimita ſerto
Læta triumphas.

Laus

(a) *Chalcedone in Thracia orta ibi martyrio coronata eſt ſub Priſco Proconſole.*

Laus ſit æternæ Triadi perennis
Quæ piis noſtræ meritis Patronæ
Cœlites inter tribuat beatæ
Gaudia vitæ.

	ERRATA.	CORRIGE.
pag. 21. *lin* 25.	venies	incipies
pag. 43. *lin.* 25.	ætas	teneras

Mar-

Digitized by Google

MDCCLXI. IV. Non. Januar.

MAndante Admod. R. P. S. Th. M. Joſ. Dominico Caſſinoni O. P., & Commiſs. S. O. Mediol. ſupra expoſita M. S. ſumma cum oblectatione vidi, & diligenter perlegi, cumque nihil in eis mihi occurrerit Fidei, vel probis moribus repugnans, Typis digniſſima cenſeo, ut pote ſtudioſæ Juventuti utilia, ſi tamen &c. In quorum &c.

Canonicus Joſeph Cedrini.

Die 12. Jan. 1761.

Stante ſupra notata approbatione

IMPRIMATUR

F. Joſ. Dominicus Caſſinoni Ord. Præd. S. Th. Magiſt., & Commiſſarius S. O. Mediol.

J. A. Viſmara pro Eminentiſs., & Reverendiſs. D. D. Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Julius Cæſar Berſanus pro Excell. Senatu.

0056540 G7

Digitized by Google

by Google